SELECTA
POEMATA
ANGLORUM
LATINA.

VOL. II.

SELECTA
POEMATA
ANGLORUM

LATINA,

SEU SPARSIM EDITA,

SEU HACTENUS INEDITA,

ACCURANTE

EDVARDO POPHAM,

Coll. Oriel. OXON. *nuper Soc.*

Multa Poetarum veniat manus. HOR. Sat. 4.

VOL. II.

BATHONIÆ
EXCUDEBAT J. SALMON.
roſtant venales apud W. BALLY *ibidem Bibli-*
opolam. J. DODSLEY, et W. GOLDSMITH
Londini. FLETCHER & HODSON
Cantab. J FLETCHER *Oxon.*
1774.

INDEX LEMMATUM.

Pag.

MUSCIPULA. — — 3

Ode ad EPISCOPUM de Cloyne &c. 15

Mons CATHARINÆ prope WINTONIAM. 20

VisMuſicæ, ſive ALEXANDRI Convivium &c. 25

Scholarum Frequentia. — — 34

Bonæ Fidei poſſeſſor fructus omnes percipiendo Suos facit. — — 35

THEODORUS REX CORSORUM. — 38

Horti POPIANI. — — — 39

Baptizatio Ruſtica. — — — 42

Relligio Neoterica. — — — 48

Epitaphium in Venatorem. — 49

Ludus Anſerinus. — — — 51

Prologus in Phormionem. — — 56

Fides fluctuans. — — — 58

ISAIÆ. Cap. 14. — — — 60

Pupæ Geſticulantes. — — 65

In Obitum Joh. RADCLIVII. M. D. 68

Articulorum aut Liturgiæ Subſcriptio ex privata Interpretatione contra Sententiam receptam et definitam non eſt admittenda. — — — 72

Illuſtriſſimo THOMÆ, de Novo-Caſtello Duci, &c. — — — 75

INDEX LEMMATUM.

	Pag.
Heu! quantum per ſe candida forma placet.	78
Concoctio non fit per Acidum. —	79
Forma Bonum fragile eſt. — —	81
Pila Pedalis. — — — —	82
Antrum Richmondienſe. — —	85
Horologium Portabile. — —	87
In Ducem MARLBURIUM. —	90
Idea Spiritus non eſt æquè clara ac Idea Corporis. — — —	91
Epitaphium Foribus Luci Coll. Divi Joh. Bap. &c. — — —	95
Teſſerarum Sortitio. — —	97
In Cratera fractum. — —	100
Virtus ſola manet, cætera mortis erunt.	101
Ode ab Amico PERCIVALLI conſcripta, &c.	103
Cantilena Anglica, &c. &c. —	106
Dialogus inter Maubertum & duos Britonas.	108
Utile Dulci. — — —	115
Ad Carolum Petrem &c. — —	116
Status Naturæ non eſt ſtatus Belli. —	120
Septem Actus Vitæ. — —	122
In Miltonum. — — —	124
Venus omnia vincit. — —	126

Secretiones

INDEX LEMMATUM.

Pag.

Secretiones animales, attractione sepositâ demonstrari possunt ex Structurâ Glandularum et distantiâ earum a Corde. 127

Regina Pecunia. — — — 129

Antonietti Ducis Corsorum Epistola ad Corsos, &c. — — — 130

In Philomelam Huworthæ auditam. 143

Necessitas Triumphata, &c. — 144

ALEXANDRI POPII, sive universi Generis Humani Supplicatio. — 147

Date Obolum BELISARIO. — 151

Felicium miserere. — — 154

Monocardia. — — — 155

HYPOCONDRIACUS. — — 157

M.—G.—ad Joh. T. — — 158

Joh. T.—ad M.—G.— — — 160

Lygdami, propter Compotationes crebras obærati Dialogus cum Amphorâ. — 163

Satisfactio Christi vera est & necessaria. 165

Epilogus ad Eunuchum. — — 168

An actiones sine verbis possint Intelligi? 170

In Obitum Georgi Ducis Albermarlæ. 172

Elegia

INDEX LEMMATUM.

Peg.

Elegia ſcripta in Coemetrio Ruſtico, &c. 174

CHRISTOPHERUS Smart Samueli Saunders. 183

Fortes creantur Fortibus et Bonis. — 184

Soliloquium ad vacuam Burſam. — 185

Ad Amicum. — — — 190

Aſcenſus & Deſcenſus mercurii in Barometro pendent ex Gravitate Aeris & vi ejus elaſticâ. — — — 192

Exuletne Poeſis. — — — 195

Carmina in Templo Veneris (apud Middleton-Stoney) ſcripta. — — 196

Carmen in celeberrimi Gloveri Leonidam. 197

Ricardo Mead, M. D. — — 201

Ode ad Pamelam Canem dilectiſſimam 203

Reſpue quod non es. — — 204

Iridis Phœnomena ſolvuntur ex diverſâ Radiorum Refrangibilitate. — — 205

Pars tertii Capitis Prophetæ Habbakkuk. 209

Nugis juvat addere Pondus. — 211

Albion. — — — — 212

Frigore manſuetis Avibus data ſportula. 226

Servitus prædiorum diuturno uſu ſolo acquiri poteſt. — — 227

INDEX LEMMATUM.

	Pag.
Infidus Amicus. — —	228
In Obitum Egregii Juvenis - - - SHIRLEY.	229
Alitur vitium creſcitque tegendo.	230
Deliquium. — — —	231
Ne ſis Jocus. — —	232
Sapere et Fari. — —	233
Ad Uxorem ſuam Paralyſis affectû, ſcilicet Hemiplegiâ laborantem, Conjux amans et dolens. — —	234
In Ariſtotelem. — —	237
Ingrati dona magis quam dantem reſpicimus.	238
Domus propria Domus optima. —	240
Antri POPIANI &c. — —	241
Præſtat obliviſci quam meminiſſe.	242
Templum Veneris. — —	243

ERRATA.

Pag. 27 Lin. 8 Lege *tunc*. P. 36 l. 9 *Invidiæ*. P. 43 l. 17 *Sic*. P. 44 l. 6 *Mopſa*. P. 45 l. 28 *Plena*. P. 46 l. 5 *Exhilarans*. P. 49 l. 5 *Lætos*. P. 64 l. 2 *conquerar*. P. 69 l. 18 *volvit*. P. 74 l. 10 *impendente*. P. 77 l. 2 *ubivis*. P. 84 l. 3 *Aruns*. P. 87 l. 10 *vitreæ*. P. 95 l. 2 *Foribus*. P. 96 l. 3 *molliebat*, l. 21 *ni falſus*. P. 106 l. 16 *Præ Veneris furore*. P. 109 l. 16 *popina*. P. 111 l. 11 *corrado*. P. 112 l. 1 *meritis*. P. 115 l. 4 *Luctifica*. P 117 l. 14 *præpoperi*. P. 118 l. 1 *valdius*. P. 141 l. 10 *ranis*. P. 145 l. 19 *Medæ*. P. 146 l. 6 *Deſcendiſſe*. P. 154 l. 4 *magne*. P. 161 l. 1 *ignem*. P. 162 l. 4 *cara*. P. 173 l. 18 1669. P. 175 l. 6 *aget*. P. 180 l. 12 *novæ*. P. 188 l. 18 *erat*. P. 186 l. 17. *ſumptis*. P. 187 l. 13 *Tune*. P. 181 l. 10 *nollem*. P. 214 l. 2 *Cryſtallo invitat*. P. 215 l. 13 *Auguſtam*. P. 216 l. 6 *ardua*, l. 14 *Cybele!* P. 225 l. 3 *debellabit*. P. 226 l. 8 *trepidat*, l. 10 *Dum*. P. 228 l. 15 *accepi*. P. 236 l. 3 *Agnoſco*, l. 10 *profundæ*. P. 238 l. 18 *Aeraque*. P. 239 l. 5 *priſcas*. P. 240 l. 22 *domo*. P. 255 l. 10 *ardor*. P. 256 l. 7 *Enitet*. P. 258 l. 1 *legam*. P. 260 l. 12 *præſantia*. P. 262 l. 15 *ferant*.

MUSCIPULA,

SIVE

KAMBROMYOMAXIA.

——— ——— ——— Ἀπηνέες ἄνδρες
Καινολέραις τέχναις ΞΥΛΙΝΟΝ ΔΟΛΟΝ ἐξεύροντο
Ἣν ΠΑΓΙΔΑ καλέουσι, ΜΥΩΝ ὀλέτειραν ἐοῦσαν!

ΟΜΗΡΟΥ ΒΑΤΡΑΧΟΜ.

Auctore

E. HOLDSWORTH.

Coll. Magd. OXON.

MDCCIX.

MUSCIPULA.

MONTICOLAM *Britonem*, qui primus vincula *Muri*
Finxit, & ingenioſo occluſit carcere furem,
Lethaleſque dolos, & inextricabile fatum,
Muſa refer. Tu, *Phœbe* potens, [nam te quoque quondam
Muribus infeſtum dixerunt *Smynthea* vates]
O! faveas; & tot *Cambrorum* è montibus, unum
Accipiens vice *Pindi*, adſis, dum pingere verſu
Res tenues, humilique juvat colludere muſâ.

Mus, inimicum animal, prædari, & vivere rapto
Suetum, impunè diu, ſpolii quà innata libido

Juſſerat, erravit, ſceleratam exercuit artem
Impavidus, ſalienſque hinc illinc, cuncta maligno
Corrupit dente, & patinâ malè luſit in omni.
Nil erat intactum, ſed ubique domeſticus hoſtis
Aſſiduus conviva aderat, non mœnia furtis
Obſtare, aut vectes poterant ſervare placentas,
Robuſtæve fores; quà non data porta, peredit
Ipſe ſibi introitum, dapibuſq; indulſit inemptis.

Peſtis at hæc totum dum ſerpſit inulta per orbem,
Cambria præcipuè flevit, quia *Caſeus* illic
Multus olet, quem *Mus* non, æquè ac plurima, libat,
Aut leviter tantùm arrodit, ſed dente frequenti
Excavat, interiùſque domos exculpit edules.

Gens tota incenſa eſt ſuper his, rabieſq; doloroq;
Diſcruciant animos, frendent, juga ſumma pererrant,
Stare loco ignorant, nam *Cambris* prona furori
Corda calent, ſubitâque igneſcunt pectora bile,
Cum digitis, credas animos quoq; *ſulphure* tinctos.

Ergò, jubente irâ, dignas cum ſanguine pœnas
Sumere decretum eſt, ſed quâ ratione latronem

Tam

Tam cautum illaqueent, quo vindice furta repellant
Incertum; neque *Felis* enim tua, *Cambre*, tueri
Tecta, nec adverſis poterat ſuccurrere rebus.
Illa quidem varias poſuit circum ora cavernæ
Inſidias, tacitoque pede ad cava limina repens
Excubias egit; fruſtrà: *Mus* nempe puſillo
Corpore ſecurus, tantò & præſtantior hoſte
Quo minor, intentum prædæ ſi forte videret
Cuſtodem ante fores, retro irruit, inque receſſus
Aufugit curvos, atque invia *Felibus* antra:
Inde caput metuens iterùm proferre, nec auſus
Excurſus tentare novos, niſi caſtra moveret
Prædo, atq; omne aberat vigili cum *Fele* peric'lum.

Sic *Cambri (Cambros* liceat componere *Muri)*
Eluſere hoſtes, cùm *Julius*, orbe ſubacto,
Imperio adjecit *Britonas*; ſic nempè receſſit
Ad latebras gens tota, & inexpugnabile vallum,
Montes; ſic ſua ſaxa inter, medioque ruinæ
Delituit tuta, & deſperans vincere, vinci
Noluit; hinc priſcos memorant longo ordine *Patres*,
Indomitaſq; crepant terras, linguæque ſenectam.

Felinos igitur poſtquam *Mus* ſæpiùs ungues
Fugerat, & *Britoni* ſpes non erat ulla ſalutis

A ſocio belli, ſupremo in limite terræ
Concilium accitur, quâ nunc *Menevia* plorat
Curtatos mitræ titulos, & nomen inane
Semi-ſepultæ urbis; properant hinc inde frequentes
Patreſque, procereſque, & odorum *ſulphure* vulgus.

Tum ſenior, cui ſæpè ſuis în montibus *Hircus*
Prolixam invidit barbam, cuique ora manuſque
Priſca incruſtavit *ſcabies* ſpectabilis aulâ
Stat mediâ, fractus ſenio, *poſtique* reclinis
Cambrorum vexato humeris; & gutture ab imo
Denſas præcipitans voces, " non, inquit, aperto
" De bello, ſed furto agitur; non exterus hoſtis,
" Sed majus graviuſque malum, nimis intimus hoſpes,
" Compulit huc populum; dominabitur uſque tyrannus
" *Mus* petulans? vos ergo, *Patres*, venerabilis ordo
" Quêis patriæ pretioſa ſalus, finite dolores
" Conſilio tantos, & ſi ſpes ulla ſuperſit,
" Propitias adhibite manus; ſic CADWALADERI
" Dum clareſcat honos, veſtra hîc quoque gloria creſcet.

Dixit

Dixit, & ante oculos fragmenta, & mucida tollens
Fruſtula, relliquias furti, monumenta rapinæ,
Exacuit *Cambrorum* iras: nunc æmulus ardor
Vindictæ, nunc laudis amor, ſub pectore *Patrum*
Ardet, inauditam meditatur quiſque ruinam
Muri MUSCIPULAMQUE ſtatim extudit omne cerebrum.

At Quidam ante alios notus cognomine TAFFI,
Et magis ingenio celebris, cui WALLIA nunquam
Æqualem peperit, *Faber* idem, idemque *Senator*,
" Eximius, ſic orſus erat; ſi gloria gentis
" *Caſcus* intereat, metuo ne tota colonum
" Deficiat cœna, & *Menſæ* decus omne *ſecundæ*
" Divitibus pereat; quoniam ergo *Wallica* virtus,
" Et *Feles* nequeant ſuperare hæc monſtra, fabrilis
" Dextera quid poſſit, quid machina vafra dolique
" Experiar; *Dolus, an Virtus, quis in Hoſte requirit?*

Talia jactantem circumſtant undique fixis
Hærentes oculis, ſperataque gaudia læto
Murmure certatim teſtantur, & unde ſalutem

Promiſſam expectent, rogitant, ardentque doceri.

Ille caput ſcalpens, (nam multùm ſcalpere *Cambris*
Expedit) horrendùm ſubriſit, & ora reſolvens
Talia verba refert. " Cùm feſſus membra quieti
" Heſternâ ſub nocte dedi, & ſopor obruit altus
" Lumina, *Mus* audax (ſectatus, opinor, odores
" Quos non concoctus pingui exhalavit ab ore
" *Caſeus*,) acceſſit furtìm, & compage ſolutis
" Faucibus irrepſit, jamque ipſa in viſcera lapſus,
" Crudas ventris opes rapere, heſternamq; paravit
" Heu! malè munito furari è gutture cœnam.
" Excuſſus ſubitò ſomnis, ſub dente latronem,
" Dum reſilire parat, prenſi, fruſtràque rebellem
" Mordaci vinc'lo aſtrinxi. Sic carcere *Murem*
" Poſſe capi inſtructus, nova mox ergaſtula, mecum
" Hæc meditans, ſtatui fabricare, animoq; catenas
" Effinxi tales, mihi quas ſuggeſſerat oris
" Captivus. Mirum O! quali regit omnia lege
" Dextra arcana *Jovis!* quàm cæcis paſſibus errat
" Cauſarum ſeries! nobis *Mus* ipſe ſalutem
" Invitus dedit, & quos attulit ante dolores,

" Tollere jam docuit; neve hunc habuiſſe magiſ-
trum
" Vos pudeat, *Patres*; *Fas eſt vel ab Hoſte doceri.*

Hæc ubi dicta, domum repetit, comitantur e-
untem
Plaudentes populi, atque benigna laboribus optant
Omina. Tum celeri ſua quiſq; ad limina curſu
Nuncius it, laribuſq; refert, quæ munera TAFFI
Ingenio ſperanda forent; dumq; ordine narrant
Omnia, dumq; Deis, ut tanta incœpta ſecundent,
Vota ferunt, monitæ præſago pectore *Feles*,
Plus ſolito luſere, & (ſi fas credere famæ)
Sub manibus matrum ſaliere coagula lactis.

Intereà TAFFI manibuſque animoque viciſſim
Inſtat magno operi, & *Diviná Palladis Arte*
MUSCIPULAM *ædificat*; fit machina mira, novâq;
Induitur vultûs ſpecie *Tragi-comica* moles.

Quin age, ſi tibi, Muſa, vacat, ſpectacula pan-
das
Infantis fabricæ, & percurrens ſingula, totam
Compagem expedias. Quadrati lamina ligni
Summum imumque tegit; filorum ferreus ordo

Munit

Munit utrumq; latus, parviſq; uti fulta columnis
Stat domus; introitus patet inſidioſus, amicum
Muribus hoſpitium oſtentans; ſed deſuper horret
Janua, perniciem minitans, tenuique ruina
Suſpenſa eſt filo; [uſque adeò ſua ſtamina *Parcæ*
Muribus intexunt, & pendent omnia filo.]
In ſummo tecti, mediâque in parte tabellæ,
Stat lignum, erectum, ſciſſo cum vertice, cui trabs
Parvula tranſverſim inſeritur, juſtèque libratas
Utrinq; extendit palmas, quarum altera quantùm
Deprimitur, tantùm annexam levat altera portam.
Interiore domo, per tecti exile foramen
Demiſſum pendet ferrum, quod mobile ludit
Hùc illùc facili tactu; curvatur in hamum
Infima pars, eſcamque tenet; pars altera prendit
Perfidioſa trabem extremam, at cùm ſenſerit hoſtem
Lethales guſtâſſe cibos, mora nulla, ſolutam
Dimittit portam, primumq; ulciſcitur ictum.

His ità diſpoſitis, pendentem protinùs hamum
Induit inſidiis TAFFI, exitioſaque *Muri*
Ipſa alimenta facit, ſed quò fragrantior eſſet
Caſeus, & *Murem* invitaret longiùs, eſcam

Fatalem

Fatalem torret flammis, vimq; addit odori.

Et jam nox memoranda aderat, cùm feſſa cubili
Membra levans TAFFI, juxta pulvinar amicam
MUSCIPULAM ſtatuit, fidoque ſatellite tutus
Indulſit facili ſomno. Gens improba, *Mures*
Laſcivi intereà exiliunt, noctiſque ſilentis
Præſidio confiſi errant; tum naribus acer
Mus quidam, dux eximius, Diis natus iniquis,
Caſtra inimica petit, quò grato flamine toſtus
Caſeus allexit. Venienti prima reſiſtunt
Clathra, aditumque negant; ſed turpem ferre repulſam
Ille indignatus, munimina ferrea circum
Curſitat, & criſpat naſum, introitumque ſagaci
Explorat barbâ; jamq; irremeabile limen
Ingreſſus, votique potens, triſtem arripit eſcam,
Exitiumque vorat lætus, potiturque ruinâ.

TAFFI, exaudito ſtrepitu, quem pendula porta
Lapſa dedit, cubito erigitur, thalamoque triumphans
Exilit, impatiens diſcendi, quis novus hoſpes
Venerat. Intereà furit intùs *Ridiculus Mus*,
Et fronte, & pedibus pugnat, jamq; intervallis

Clathrorum

Clathrorum caput impingit, ferrumque fatigat
Dentibus inſanis. Sic olim in retia *Marſus*
Actus aper, fremit horrendus, ſinuoſaque quaſſat
Vincula, ludibrium catulis, diffuſa per armos
It ſpuma, arrectæque rigent in pectore ſetæ.

Poſtera lux oritur, decurrunt montibus altis
Præcipites *Cambri*, nam cunctas venit ad aures
Res nova; quippe *Aſinus*, ſolitâ gravitate remiſſâ,
Et jam pigritiæ oblitus, laſcivior *Hædo*
Aſcendit montem, quâ *Cambrum*, diſſonus ore,
Præconem ſimulans, ter rauco gutture rudens,
Te celebrat, TAFFI, ter publica narrat amicis
Gaudia. *Bubo* etiam (*Cambrorum* dictus ab illo
Tempore *Legatus*) per compita ubique, per urbes,
Totâ nocte errans, roſtrum ferale feneſtris
Stridulus impegit, cecinitq; inſtantia *Muri*
Funera. *Parturiunt Montes*; atq; agmine denſo
Pembrochiæ multus ruit incola, *Merviniæque*,
Quiq; tenent *Bonium*, & *Mariduni* mœnia vate
Inclyta *Merlino:* veniunt fœcunda *Glamorgan*
Quos alit, & *Vagæ* potor, rigiduſque colonus
Gomerici montis. Tum, circumſtante coronâ,
Illudit capto TAFFI, iratumque laceſſens,

" *Nequicquam*

" *Nequicquam luctleris*, (ait) *damnaberis Aræ*
" *Victima prima meæ, memoriq*; *hæc limina tinges*
" *Sanguine*; *ſpes nulla eſt, retrò fugientibus obſtant*
" *Non exorandi poſtes: dabis, improbe, pœnas*
" *Pro meritis, vitamque ſimul cum carcere linques.*

Vix ea fatus erat, cùm ludicra *Felis* aprico
Culmine deſiliit tecti, quò ſæpe ſolebat,
Cruribus extenſis, molli langueſcere luxu.
Aſpicit inſtantem captivus, & erigit aures,
Gibboſoque riget tergo, nec limen apertum
Jam tentare audet, ſed in ipſo carcere ſolam
Spem libertatis ponens, ſua vincula prenſat
Unguibus hamatis, pedibuſque tenacibus hæret.
Excutitur tamen; & *Felis* rapidiſſima prædæ
Involat, & fruſtrà luctantem evadere ſævo
Implicat amplexu, crudeliaq; oſcula figit.
Nulla datur requies; agili ſinuamine caudæ
Gaudia teſtatur victrix, & flexile corpus
Laſcivo verſans ſaltu, modò corpore prono
Attentè invigilat *Muri*, modò colla benignis
Unguiculis levitèr palpans, mentitur amorem
Dum lacerare parat; variâ ſic arte jocoſam

Barbariem exercet, lepidâque tyrannide ludit.

At nugis tandem defeſſa, nec ampliùs iram
Diſſimulans, acuit dentes, & more leonis
Impaſti, incumbit prædæ: jam pectore ab imo
Murmurat, & tremulos artus, & ſanguine ſparſa
Viſcera dilaniat. Plebs circumfuſa cruorem
Inviſum aſpiciens, lætis clamoribus implent
Æthera; clamoreſq; Echo, *Cambræ* incola terræ,
Læta refert; reſonant *Plinlimmonis* ardua moles,
Et *Brechin*, & *Snowdon*; vicina ad ſidera fertur
Plauſus, & ingenti ſtrepit *Offæ* foſſa tumultu.

Tu, TAFFI, æternùm vives; tua munera *Cambri*
Nunc etiam celebrant, quotièſque revolvitur annus,
Te memorant; patrium gens grata tuetur honorem,
Feſtivoq; ornat redolentia tempora PORRO.

O D E

Ad Reverendum admodum in *Chriſto Patrem*,

GEORGIUM*,

Epiſcopum de Cloyne in Hiberniâ,

In Tractatum ſuum, cui Titulus SIRIS†. 1752.

O! Qui caducæ ſollicitus times
Vitæ, benignis uſque laboribus
Fugare præſens imminentes
Corporibuſque animiſque peſtes;

Muſis amicus, leniter audias
Vocem Camœnæ, quæ ſibi reddita
Jam ludit exultim, lyramque
Suſcitat, impatiens quietis.

Non

* BERKLEY. † *Tar-Water.*

Non fabulosis prosiliens jugis,
Et docta labi murmure garrulo,
Nunc unda me multùm loquaces
Provocat ad numeros volentem;

Sed lympha morbos eluere efficax,
Sed parta dulcis, te medico, salus;
Sed muneris solantis ægrum
Conscia mens, modulatur ultrò

Carmen. Veternum triste fugit retro,
Fervet renati spiritus ingenî,
Et sol inassuetùm renidens
Luce diem meliore vestit.

Sed unde fulget largior ætheris
Prospectus? Ut vidisse juvat sacras
Sedes piorum, quot repertis
Artibus excoluere vitam!

Newtonus illic plurima cogitans,
Viroque charus Boylius it comes,
Et Sydenhamo juncta magni
Hippocratis spatiatur umbra.

Hos

Hos tu ſequutus, ſorte pari doces,
Quæ flamma magno corpore miſceat
Se rerum, & illabens per artus
Totam agitet foveatque molem.

Hinc ſuavis halat gratia floribus,
Plantaſque radix prodiga parturit;
Uſuſque in humanos, per omnem
Nata viret medicina campum.

Sed quanta conſtat laus, Abies, tibi,
Ligno ſalubri! Te poſitum die
Natura fauſto deſtinavit
Stare decus Borealis oræ.

Dilecta ſilvæ filia, turgidis
Seu læta velis, montis & ardui
Nivale contemnens cacumen
Fluctibus imperioſa ſurgis;

Trunco cadenti ſeu pretium arrogas,
Et præparato membra dari rogo
Urenda nil mœrens, ab ipſis
Ducis opes medicata flammis.

Liquente torrens en! pice turbidus
Erumpit; undam rivus agit niger,
Secumque curſu concitato
Fert gravidas oleo favillas.

Mox arboris tu proditor intimæ,
Attemperatâ ritè fagax aquâ,
Oſtendis interpres, liquorum
Quid valeat ſociatus amnis;

Queis lympha prægnans particulis micet,
Quæ cærulo vis inſita poculo,
Imbuta fumis, ſedet ignes
Ignea prætereunte ſucco.

Notam medelam da, puer, ocius,
Hoc fonte manans certa fluit ſalus:
Beatus hinc, uvas nitentes,
Galle, tibi minus invidebo.

Jam, jam æſtuantes frigus amabile
Venas pererrat, flammaque mox calet
Mollis viciſſim, ſpirituque
Æthereo recreat medullas.

Formas medendi, mille vaſer modis,
Tentet latentes Chêmicus artifex:
Sin arte Naturæ, tuâque
Porrigitur medicina ſimplex.

Cohors recedit torrida febrium;
Recline ſenſim ſe caput erigit,
Languore pulſo: defluitque
Articulis inimicus humor.

Durare nimbos ſic ratis impotens,
Quaſſata vento, & faucia vermibus,
Secura ſi, portu occupato,
Induerit piceos amictus:

Relapſa in æquor fert latus arduum,
Fiditque coſtis nauta tenacibus,
Impune; nec circum furentes
Uncta ratis metuit procellas.

MONS CATHARINÆ,
PROPE WINTONIAM.

AERIO Catharina jugo, quà deſpicit arces
Pierias, liquidiſque interlita paſcua rivis,
Quà priſci circùm apparent veſtigia Martis,
Excubiæque cavæ, et veteris munimina valli;
Wiccamicam videas luſu contendere pubem
Multiplici, vacuamque leves celebrare palæſtras,
Feſta dies quoties rediit, conceſſaque ritè
Otia, purpureoque rubentes lumine ſoles,
Invitant, nimiæ curas lenire Minervæ,
Librorumque moras, et dura remittere penſa.

Ergo, Cecropiæ quales æſtate cohortes,
Siquando ceras, nondumque tenacia linquunt
Mella vagæ, luditque favis emiſſa juventus,
Mox ſtudio majore novos obitura labores;
Egreditur pullatum agmen; campoſque patentes
Occupat, ingentiſque tenet ſpatia ardua clivi.

Nec

Nec mora; quiſque ſuos mores, animumque lateri,
Ingeniumque ſequi, propriæque accingier arti.
Pars aciem inſtituunt, et juſto utrinque phalanges
Ordine, et adverſæ poſitis ſtant fortibus alæ.
His datur, Orbiculum metis prohibere propinquis,
Præcipitique levem per gramina mittere lapſu:
Aſt aliis, quorum pedibus fiducia major,
Excubias agitare vagas, curſuque citato
Sectari, et jam jam ſalienti inſiſtere prædæ;
Uſque adeo ſtimulat rapidus globus ire ſequaces
Ancipiti de colle, pilæque volubilis error.
Aut volitantem altè, longeque per aera pulſum
Suſpiciunt, pronoſque inhiant captantque volatus,
Sortiti fortunam oculis; manibuſque paratis
Expectant propiorem, intercipiuntque caducum.

At pater Ichinus viridantes, vallibus imis,
Quà reficit ſalices, ſubductæ in margine ripæ,
Pars vegetos nudant artus, et flumina ſaltu
Summa petunt: jamque alternis placidum ictibus æquor
In numerum, pedibuſque ſecant, et remige plantâ;
Jamque ipſo penitus merguntur gurgite, prono
Corpore, ſpumantemq; undam ſub vertice torquent

Præcipites

Præcipites, ſaliuntque lacu, luduntque lavando.
Protinus emerſis, nova gratia crinibus udis
Naſcitur, atque oculis ſubitò micat acribus ignis
Lætior, impubeſque genæ formoſiùs ardent.

Intereà licitos colles, atque otia juſſa,
Illi indignantes, ripæ ulterioris amore,
Longinquos campos, et non ſua rura capeſſunt.
Sive illos (quæ corda ſolet mortalia paſſim)
In vetitum mens prona nefas, et iniqua cupido
Sollicitet; Novitaſve trahat dulcedine mirâ
Inſuetos tentare per avia paſcua calles:
Seu malint ſecum obſcuros captare receſſus,
Secreto faciles habituri in margine Muſas:
Quicquid erit, curſu pavitanti, oculiſque retortis,
Fit furtiva via, et ſuſpectis paſſibus itur.
Nec parvi ſtetit Ordinibus ceſſiſſe, locumque
Deſeruiſſe datum, et ſignis abiiſſe relictis.

Quin luſu incerto cernas geſtire Minores;
Uſque adeo inſtabiles animos nova gaudia lactant!
Se ſaltu exercent vario, et luctantur in herbâ,
Innocuaſve edunt pugnas, aut gramine molli

Otia

Otia agunt fusi, cliviſque ſub omnibus hærent.
Aut Aliquis tereti ductos in marmore gyros
Suſpiciens, miratur inextricabile textum
Sive illic Lemurum populus ſub nocte choreas
Plauſerit exiguas, virideſque attriverit herbas;
Sive olim paſtor fidos deſcripſerit ignes,
Verbaque difficili compoſta reliquerit orbe,
Conſuſaſque notas, impreſſaque ceſpite vota.

At Juvenis, cui ſunt meliores pectore ſenſus,
Cui cordi rerum ſpecies, et dædalus ordo,
Et tumulum capit, et ſublimi vertice ſolus,
Quæ latè patuere, oculos fert ſingula circum.
Colle ex oppoſito, flaventi campus ariſtâ
Aureus, adverſoque relucent jugera ſole:
At procul obſcuræ pecudes, et rura remotis
Indiciis, et cæruleâ nemus accubat umbrâ:
Sub pedibus fluvii, et ſparſis frondentia Tempe
Arboribus, paſſimquè vigent convallis honores
Irriguæ: mediiſque viretis maxima circùm
Religio, et veteres muſcoſo culmine turres
Apparent, ſaxoque rudi venerabile Templum.
A dextrâ, patulis priſcum caput extulit ulmis
Wiccamidûm domus alma, et Muſis hoſpita tecta:

Nec

Nec procul ampla ædes, et eodem læta patrono,
Et delubrum ingens, centum ſublime columnis,
Emicuit; faſſæque feneſtræ antiquius ævum
Ordine multiplici, et magnâ faſtigia mole.
Hinc atque hinc extat vetus Urbs, olim inclyta bello,
Et muri disjecti, et propugnacula lapſa;
Infectique Lares, læviſque palatia ducta
Auſpiciis. Nequeunt expleri corda tuendo,
Et tacitam permulcet imago plurima mentem.

O fœlix Puerorum ætas, luceſque beatæ!
Vobis dia quies animis, et triſtia vobis
Nondum ſollicitæ ſubierunt tædia vitæ!
En vobis roſeo ore ſalus, curæque fugaces,
Et lachrymæ, ſiquando, breves; dulceſque cachinni,
Et faciles, ultrò nati de pectore, riſus!
O fortunati nimium! Si talia conſtent
Gaudia jam pueris, Ichinum propter amœnum,
Ah! ſedes ambire novas quæ tanta cupido eſt,
Dotalemque domum, et promiſſas Iſidis undas?
Ille licèt virides Muſarum dividat hortos,
Cecropio par Iliſſo, pulcherrimus amnis,
Et centum oſtentet fœlici margine turres.

VIS MUSICÆ,
SIVE
ALEXANDRI CONVIVIUM,
DRYDENI in S. CÆCILIAM
ODE,
LATINITATE DONATA
A GEORGIO BALLY,
Coll. Regal. Cantab. Alumno. 1753.

——*Musa Lyræ Solers*——
——*Juvat aut impellit ad iram,*
Aut ad humum mœrore gravi deducit et angit.
HOR.

CUM jam Regifico inſtrueret convivia luxu
Proles Philippi Martia,
Diemque feſtis dedicaret poculis;
Victâ triumphans Perſide:
Heros par Superis ſedit in aureo
Evectus ſolio, Nobilis, et ſacro

Undique

Undique circumfuſus honore.
Belligeri Satrapæ poſuere ſedilia circum,
Quorum intexta Roſis redimibat tempora Myrtus,
(Talibus cingi meruit Corollis
Bellica Virtus:
Huic aſſidebat Thais amabilis
Eoa qualis Sponſa, ſuperbiens
Ævo virenti, Gratiaſque
Purpureo jaculata Vultu.
Felices ter et ampliùs,
Quos dulce jungit Vinculum!
Formoſa Nympha Fortibus,
Formoſa Nympha Fortibus,
Formoſa ſolis Nympha detur Fortibus.

II

Inter canorum Timotheus ſedens
Sublimis Agmen, pollicis impulit
Volantis ictu fila, Muſamque
Elicuit citharæ tacentem.
Ad cœlum tremuli Modi feruntur;
Cœleſtique tument Pectora Gaudio.
Camœna duxit principium ab Jove;
Qui domos olim ſuperas reliquit,
Tantum

(Tantùm vis potuit ſæva Cupidinis.)
Ignea Forma Deum texit mentita Draconis:
Cum jam ſublimè coruſcis
Orbibus incumbens equitavit, et agmine certo
Vaſtum per Inane petivit
Formoſæ niveum pectus Olympiæ.
Gracile tunc amore corpus ambiens plicatili,
Venturam impreſſit propriâ ſub Imagine Prolem,
Quam tremeret Tellus, Dominumque agnoſceret
Orbis.
Combibit altiſonos avidâ Plebs aure canores:
Regnare clamat Quiſque Præſentem Deum;
Præſentemq; Deum Laquearia pulſa retorquent.
Extra ſe rapitur ſono
Heros; in Superas evehitur domos,
Sublimique ferit Sidera vertice:
Terræ recedunt: induitur Deum;
Manu rubenti fulmina deſuper
Triſulca vibrat; jamque nutu
Ætheream tremefecit Aulam.

III

Plurimus in Bacchi laudes mox fila Canorus

Increpuit Fidicen Lyræ;
Bacchi, quem Venus, et nitens Juventas
Formæ perpetuo beant decore.
Jam ducens hilares venit triumphos
Serto revinctus Pampineo Deus,
Lætitiæ dator, et Jocorum.
Infletur Tuba, Tympanumque pulsum
Edat sonores Bellicos.
Numen Purpureo suas rubore
Uvas assimilans, honesta prodit
Ora renidens.
Tibia multiforos fundat acuta sonos;
Victor Thyoneus advenit, advenit.
Bacchus, quem Venus, et nitens Juventas
Formæ perpetuo beant decore,
Nobis delicias dedit Bibendi.
Gazam ministrant Bacchica Munera,
Sunt et Voluptas Pocula Militis;
Optima Gaza,
Grata Voluptas;
Curam Voluptas grata supervenit.

IV

Harmoniâ captus fastu Rex turget inani,

Et

Et pugnata, iterùm prælia fortis obit.
Ter ſtravit ſtratos, et fuſa ter agmina fudit.
Vidit canendi Callidus Artifex
Inſanientes Pectoris altiùs
Tumere fluctus, et rubore
Inſolito radiare Vultus;
Vidit coruſcis lumina vividùm
Ardere flammis; dumque minax Polo
Orbique miſcet Bella; verſo
Pollice comminuit furores.
Nunc queribundum
Plenum triſtitiæ melos ciebat,
Lenire ſolers Pectora:
Darium cecinit Bonum, Potentem,
Sorte gravi nimis et ſeverâ
Lapſum repentè, flebili lapſum vice,
Lapſum e priori Gloriæ faſtigio,
Inque ſuâ ſanie volutum:
Quorum præcipuè nunc indiget, orbus Amicis,
Priſtina quos aluit menſa, beavit Amor;
Defuncto dùm Nullus adeſt, qui Lumina condat,
En! jacet in Gelidâ, Triſte Cadaver, humo.

Lugubris in terram Victor defigit ocellos,
Corde mutato recolens doloſæ
Aleam Sortis, miſeroſque Caſus.
Nunc furtim gemitus ciet,
Nunc Humor tacitas labitur in genas.

V

Melicæ Magiſter Artis
Placido renidet ore,
Gradibus ſciens ſecundis
Paphiam ſedere Divam;
Similes movere Chordas,
Moduloſque conſonantes
Opus unicum ciere.
Aliena quippè flentis
Mala, protinùs medullas
Subit intimas Cupido.
Suavitèr lenes citharæ canores
Elicit, Lydæque modos Camœnæ
Suſcitans, Regis liquefacta corda
Mollit amo
Sic Fila blandis increpuit ſonis.
Tum ultuoſæ Bellum opus Aleæ;

Turge

Turgens inani Bulla Vento
Laus, & Amor Popularis Auræ:
O Qui Laborum perpete volveris
Gyro, Laborum ſine carentium;
Et uſqud pugnas, uſque cædis,
Si meruit tibi Terra vinci,
Diſce frui, totoque triumphans utere Mundo.
Aſſidet Thais lateri decora,
Dona præſentis rape lætus horæ,
Quæ Venus ridens, Veneriſque Proles
Nectare tinxit.
Inſremuit Vulgus, pulſavit et Æthera plauſu;
Muſica ſic vicit, præmia cepit Amor.
Neſcius intereà premere alto pectore curas,
Charam Rex inhiat ſtupens Puellam,
Cauſam Rex inhiat ſtupens doloris,
Suſpirat uſque et uſque Vultus aſpicit,
Suſpirat iterum, et uſque Vultus aſpicit,
Et uſque ſpectans, uſque dat ſuſpiria.
Tandèm plenus Amore, ac Numine plenus Iacchi,
Labitur in Pulchræ candentia pectora Nymphæ,
Pendet et ambroſio Victor devictus ab ore.

VI

Pulſata rurſùm perſtrepat Aurea

Chelys; ſonores jam magis et magis
Tollantur alti; Vinc'la Somni
Rumpite Fulmineo fragore.
Sed Audin', Audin'; jam canor horridus
Torpidum Regis caput excitavit;
Tanquàm potentis carminibus Magi
Infernâ elicitus domo,
Inſanas acies undique conjicit.
Ad Ultionem ſurge, Timotheus boat,
Ad Ultionem ſurge, clamant Atria.
En ut relictâ luridi
Profunditate Tænari,
Diræ coruſcant tortiles
Hydros inhorrentes comis!
Ut ora vibrant ſibila,
Luminibuſque feris erumpit flammeus Ardor!
Informem aſpice, flebilemque cœtum
Armatum facibus manus!
Hæc, Graiûm, quam cernis, inops inhumataque
Turba eſt,
Quos Martis ira perculit;
Nunc Umbræ viduæ mortis honoribus
Campos inultæ pervolant.

Quin ultionem ſolve, ſolve debitam,
Hoſteſque cæſis inferias refer,
Et clade clades expia.
Viden' ut altè Lampadas circum rotant,
Ædeſque verſus perſicas tendunt manus,
Fulgidaque infenſis devota Sacraria Divis!
Plauſus ingeminant pectore turbidùm
Lætantes Satrapæ; Rex celer igneum
Funale, ſpirans exitium, rapit;
Dux aperit viam,
Prædæque Thais indicem
Prætendit arſuræ facem,
Accenditque Novas Trojæ Nova Tyndaris Arces.

VII

Prioribus ſic Seculis,
Antequam flatu reboans anhelo
Follis auguſtum Melos evocavit;
Cùm loqui nondùm didicere ſacris
Organa Templis;
Suavi Timotheus flamine Tibiæ,
Et Grandis ſonitu Lyræ,
Infudit rabiem, placidumve accendit Amorem.
Cæcilia tandèm Pulchra vocalem tulit
Demiſſa

Demiſſa cœlo Machinam;
Dives opûm ſanctarum et Numine plena Jehovæ,
Luxuriem dedit, et Modulis immiſit habenas;
Graviſque Muſæ duxit in longum tonos,
Ingenio pollens, ignotaſque addidit Artes.
Cedat Puellæ Timotheus minor,
Pareſve regnent; Hic Hominem extulit
Ad Aſtra ſolers; Hæc ab Aſtris
Æthereum rapuit Miniſtrum.

Scholarum Frequentia.

O ſchola, depulſum quæ tollis ab ubere matris,
Et lactis rivo nobilioris alis;
Virtutes agnoſco tuas: tibi debeo ſoli
Græcia quos fructus, quos mihi Roma dedit.
Hinc ubi me decimus vocat annus ad ardua regni
Tractanda; O poſſem ſic memor eſſe Tui;
Utque inter Proceres me magna et juſta loquentem
Audierint, nôrint hîc didiciſſe loqui.

Bonæ Fidei poſſeſſor fructus omnes percipiendo ſuos facit.

HEUS! Puer, ocyùs hùc;—aperi mea ſcrinia, & iſtum
Prægrandem mihi Librum affer, quem mole notandum
Præ ſociis, *humeriſque extantem ſuſpicis altis.*
Oh! —cautè incedas; —depone, caveque tabella
Ne labefacta ruat ſub iniquo pondere—abito.

Quæ Dea quiſve Deus *(nam dignus vindice nodus*
Ut Deus interſit) penetralia condita legum
Expediens, immane volumen DIGESTORUM
Evolvat, Vatemque ignoto in tramite ſiſtet?

Adſis, Phœbe, precor, — fruſtrà tam ſæpe vocanti
Jam tandem, Pater, auſcultes. *Pater?* inquit Apollo;
Tu mea Progenies? mox jactet me quoq; Patrem
Infimus iſte tuus *Frater* ---- —s, at odi &

Arceo

Arceo *Cauſidicos:* —cudas miſerabile carmen
Si vis, ſed cudas ſine me; —ſicut tuus eſt mos.

Et meus eſt, & erit.—Vos, O chariſſima *Fratrum*
Pectora *Noſtrorum* longè O pars maxima *Vatum*,
Qui Phœbo, Muſis, Naturâ, Diſque Deabuſque
Omnibus invitis audetis ſcribere, mecum
Macti eſtote, Viri fortes; — manet integra nobis
Gloria, non ſuſpectus honos, quem pallida labes
Invidæ attingat; — *Parnellus*, *Broomus*, & omnes
Popiades Phœbo ſua debent carmina; — *Nobis*
Non ita; quod facimus *noſtrum* eſt. — Sed velli-
cat aurem
Lector, & iratus, nunquamne, ait, Improbe, finem
Principio invenies? — rectè; — ſed, Lector amice,
Tu methodum hancce novam ſcribendi non ſapis;
— hìc plus
Quàm duodena mihi numerantur carmina; *facti*
Dimidium, qui cœpit habet.—ſed jam ſatis;--ad rem
Converto. — *Apparens Dominus fideique bonai*
Poſſeſſor fructus habet omnes percipiendo.
Ah! — lepidum ſanè carmen, numeris & eiſdem
Si poſſim narrare, habeo caſum ſatis aptum.

Miles

Miles erat pœnas damnatus (non ita rarum
Militibus fatum) capitis perſolvere; dignas,
Necne, refert paulùm, *nec vatibus omnia ſcire,*
Flacco teſte, *licet:* miles tremebundus & exſpes
Uxori hoc mittit lachrymabile pignus amoris,
Præmonitus tamen infandum priùs affore tempus
Quàm ſponſa acciperet. " Noſtra O chariſſima
Conjux,
" Hei mihi! qui ſcribo haud vivo, — abſtulit & mihi lucem.
" Dilectumque tibi *Lignum lethale* maritum.
" Hei mihi; — ſponſa vale.
Quid faceret Dido? — luget pullata decoris
Veſtibus & lachrymis; ſed tandem *abolere Sichæum*
Diiq; Homineſq; jubent vacuumq; implere cubile.
Connubiale ictum eſt fœdus, — rituſque ſequuntur
Quales ritè ſequi debent: — ſed lubrica fati
Conſilia aſpicias, geniales vix Hymenæus
Accendit tædas, cum jam primordia amoris
Dulcia *percipiunt* nupti, Junone ſecundâ;
Funeſtum evadens laqueum redit ipſe *Sichæus.*

Nunc, CONSULTE, tibi ſolvenda hæc quæſtio reſtat:

Utrum

Utrùm cum defunctus erat, *ſe Teſte*, Sichæus,
Legitimè defunctus erat? *Poſſeſſor* an alter
Sit fidei ſatis *æquæ?* — & quid ſi parvulus aulâ
Luderet Æneas? (gnavus namque ille, nec illa
Indocilis) quid *Lex? — cujum Pecus?* — Hoc mihi ſolvas,
Altera & inde oritur lis, VIR DOCTISSIME;— Legum
An melior tu ſis *conſultus*, egone *Poeta?*

THEODORUS REX CORSORUM.

MILES, mercator, Baro, Dux, THEODORUS, et armis
Inclytus, et civis totius orbis erat.
Et modò regales felix aſſumit honores,
Et modo depoſitis faſcibus exul abit.
Carcere concluſus tandem, et ſpoliatus ad aſſem:
O quid non fueras! O THEODORE, quid es!

Horti POPIANI.

POPII fas ſit nemus & penates
Ingredi; quamvis ſtrepitum malignæ
Plebis hic grato vacuus ſub Antro
Spernit & areet.

Ipſe, Muſarum comes ac virentis
Hortuli cultor, per amœna Vatis
Rura vicini pede non profano,
Dum licet, errem.

Quo duces, quo me rapitis, Camœnæ,
Saxeis lætum latebris, & arctæ
Calle Speluncæ, *Thamiſiſque* fluctu
Prætereuntis?

Me levis Lymphæ trepidante rivo
Sparge; muſcoſi mihi, Nai, venas
Fontis & ſacros penitus Cavernæ
Pande receſſus:

Eſt tuum ſeſſi recreare nervos
Ingenî: nec vos, Lemures, coruſcis
Dedecet Conchis Domino Coronam
Nectere veſtr

Quis procul ſummo Lapis in vireto
Candet? agnoſco memoris Querelæ
Signa, & inciſam meritâ Parentis
Laude Columnan

Quo vagor? magnis ſimulata cernam
Tecta, Apum ſedes? Caveamne, lentis
Quà Salix ramis, tremulâque mœrens
Imminet Umbrâ

An Toros Herbæ magis? an comantis
Copiam Sylvæ, nitidæque Lauri
Plurimum mirer Decus? an patentis
Læve Palæſtr

Gramen? O! quis Me in ſpeculâ repon
Frondei Collis, juga qui decoræ
Villulis *Shenæ*, vitreumque latè
Proſpicit Amnem

Illi

Illius ritu ferar O! perenni
Fonte decurrens; nec iners, nec acer;
Plenus, at ripæ patiens, profundo
Flumine purus.

Quid novâ poſco prece? Me procacis
Barbiti ſolers leviore Cantu
Muſa, Me nugis voluit Jociſque
Fallere curas.

Littore hoc ſaltèm viridante tecum
Conſidens, *Flaccum* videar tueri;
Dicta depaſcar tua, ſub Cavernæ
Tegmine Popi.

Baptizatio Ruſtica.

SOLENNES Ritus, puerumque aſpergine lymphæ
Sacratum ſuperis, Obſtetricemque facetam,
Hic canere incipimus: faveat Lucina canenti,
Tuque harum adjutrix curarum, et conſcia Juno!

Jam decima humentes Aurora fugaverat umbras,
Ex quo maternis infans vagiſſet in ulnis:
Nec mora, vicini coeunt; jam dedita ventri
Pars puerum ſacrâ properant conſpergere lymphâ.
Intereà pendent opera interrupta, ligoque
Stat medio defixus agro, ſpinoſaque ſepes
Semiputata manus agreſtis poſcit; at ille
Jam parat, ut ſociis cultus conviva colonis
Interſit; juvat hunc diſponere in ordine crines;
Compoſitumque aptat conjux collare marito.
Nec minus ipſa ſibi curat ſua ſponſa tumentes
Conſtringit vinclis coſtas, fingitque premendo:
Quamque ſuis nevit manibus circumdata lanâ eſt;

Componit

Componit veſtes, tremulumque in vertice conum
Erigit, et farris conſpergit pulvere crines.
Pars pedes ire parat campis; parſque ardua tardis
Fertur equis; unâque armati calce fatigant
Quadrupedes; lumbos onerat pinguiſſima conjux:
Poſt equitem cura alma ſedens, ſimiliſque cadenti,
Sæpe premit tutum tremibunda ad pectora ſponſum.

Ille ſibi pondus commiſſum reddere terræ
Gaudet, et optatas tandem contingere portas.

Jam ſubeunt thalamum, ſociaſq; puerpera matres
Excipit, illa humeros albo velamine cincta eſt,
Et ſedet in molli plumis ſuffulta ſedili.
Matronæ ſpectant puerum; juvat ora tueri,
Et verſare manu, naſumque agnoſcere patris
Majorumque genas, et blandos matris ocellos.
Tunc avia has rumpit placido de pectore voces:
" Si patrem memini puerum, ſic ora ferebat,
" Et ſic ridebat teneris nutricis in ulnis.
" Altera ſpes aviæ ſurgas, meliora parente
" Arva colas, mediâque olim luctator arenâ
" Subvertas juvenes: tum parto indute galero
" Ibis ovans, tacitoſque accendes Phyllidis ignes.

" At ſi larga meis flaveſcat meſſis in arvis,
" Noſtraque longævo placeat ſententia ſponſo,
" Tu nunquam attrito proſcindes arva ligone,
" Nec ſubiges tauros; ſed grandior *Aldermannus*
" Urbani incedes tardus poſt pondera ſceptri.

Laudant propoſitum matres, et provida mopſa
Deſtinat æquævæ jam nunc connubia natæ.
Tandem procedunt matres, quas inter euntes
Infantem manibus geſtat Lucina tenellum,
Quem circumfuſo nutrix ornaverat oſtro,
Demiſſâque ſtolâ pedibus, quâ *Battus*, et omnes
A *Batto* ſoliti natos decorare recentes.

Tum ſubeunt templum, ſacrumque ex ordine fontem
Suppliciibus cingunt genibus, gelidamq; ſacerdos
Spargit aquam puero, nomenq; imponit avitum.
Flet puer, et vetulæ gaudentes omine fauſto,
Non dubitant longam ex fletu prædicere vitam.

At domus interea luxu decoratur agreſti;
Diſponunt famuli lances, luteaſque patellas,
Ornamenta abaci veteris, qui mole ſuâ ſtat

Liquo

Ligno compoſitus ſculpto. Tum lintea menſæ,
Lintea ficulnis imponunt candida quadris.
Pendula detergunt, quæ finxit aranea, fila;
Bibliaque à nitidis tollunt antiqua feneſtris,
Durſœique modos, quos roſerat eſuriens mus.
Idem ardor ſervos ſtimulat, queîs cura culinæ;
Accendunt ignem, verubuſque affigere longis
Terga bovis properant, manibuſq; calentia verſant.
Parte aliâ tepidum ſumos emittit ahenum.
O genti alituum lux exitioſa! Columba
Amiſſos queritur tectorum in culmine ſœtus;
Solaque neglectos errat gallina per hortos.
Illi cura penum ſtruere, et ſpectabile prunis
Hæc miſcet ſartum, ſarris hæc mœnia condit,
Et Cereris donum pomis fragrantibus implet.
Illâ parte, puer cultros in limine primo
Exacuit, multa abſiſtit ſcintilla metallo.
Fervet opus, ſuavi redolet nidore culina.
Hæc inter famuli variè properantur, et omnis
Jam redit à Templo conviva, epuliſque paratis
Accumbit tacitus, primâque in ſede locatur
Obſtetrix, craſſoq; gemit ſub pondere ſella,
(Plenâ ipſâ) tunc illa bovis fumantia terga

Deſecat

Deſecat in partes varias, menſamque per omnem
Mittit, et agreſtes dapibus lætantur opimis;
Vinaque de pleno ducunt pomantia cornu
Ridentes, et ſæpe calix redit actus in orbem,
Exhilerans animos, et corda oblita laborum.
Jam, Lucina, tui gliſcunt incendia naſi,
Et linguâ inceſſis tardos mordace maritos,
Ultra annos vultumq; gerens, animumq; facetum.

" O pecus ignavum ſponſi queîs nullus in aulâ
' Filiolus ludit, nec dulcis filia, patrem
" Quæ recreet placidis redeuntem veſpere nugis,
" Miſtaque colloquiis puerilibus oſcula jungat.
" Vos multi pueri multæ ſprevêre puellæ,
" Dum lugeat vacuos prudens matrona Penates.
" O utinam ſegnes puniat lex æqua maritos!
" Floreat ille Pater, qui natis computat annos.

Finierat; calicemque arenti gutture plenum
Siccat, et hoc hauſtu nondum ſatiata recedit.
Interiore domo, matreſque oblectat hiantes,
Secreta obſcuris pandens myſteria verbis,
Et ſteriles campos damnans; procul ite puellæ,
Fas nulli innuptæ Lucinæ audire labores.

Non

Non pudet opprobriis ſponſos illudere, culpas
Vicinæ arcanas alio ſub nomine celat;
Fœmineamq; jubet præſtare ſilentia turbam.
Exuit interea veſtes, cuniſque reponit
Infantem nutrix; en parvum machina lectum
Continet objectu laterum, mirabere coſtas
Vimine candenti textas, et penſile tegmen
Obductum capiti, (lædat ne pulvis ocellos)
Subjectoſque pedes, queîs machina mobilis unâ
Itque reditque viâ, ſomnumque invitat eundo.
Flet puer, interea cantat blandiſſima nutrix,
Atque imperfectis lallat cunale loquelis.
Nec potis eſt molli fletum compeſcere cantu,
Quin puerum è cunis tollat, mammamq; miniſtret
Suppeditetque cibum, proprio quem verſat in ore
Ipſa prius, guſtuque alieno paſcitur infans.
Haud aliter fruges diſperſas colligit arvis
Ales, et ore refert pullis crepitantibus, illi
Eſcam avidè captant, et hianti gutture condunt.

At juvenes puero dederant qui nomina, libant
Oſcula virginibus; repetita eſt flamma medullis
Mollis, et innocuos læti meditantur amores.
Agricolæ multâ traherent convivia nocte,

Ni

Ni jam ſuaderent fulgentia ſydera ſomnos.
Surgunt convivæ; Corydon tamen ipſe moratur,
Continuatq; ſcyphos; ſedet, æternumq; ſedebit,
Ni moveat ſolitas conjux fidiſſima lites.

Diſcedunt hilares; baculo hic veſtigia firmat,
Conjugis implicitam tenet ille uxorius ulnam.
Tum pater exultans dictis compellat euntes;
Ite, valete omnes! tandem redeunte Decembri,
Ni fallar, pulchram pariet mea Lydia natam,
Voſque reverſuro feſtum renovabitis anno.

Dicant Matronæ, votisq; his omnia firmant;
Stet domus, et ſimili frondeſcat prole quotannis.

Relligio Neoterica.

ADVERSUS fidei, clariſque addictus ideis,
Ad nos, quæ ſupra nos, nihil eſſe tenet.
Suſpendens naſo myſteria, relligionem
Tollit, naturam, ſeque Deumque negat.
Symbola triſte jugum; *** continet unus
Credenda *articulus* ſingula, credo nihil.

Epitaphium

Epitaphium in Venatorem.

VOS qui colitis HUBERTUM
Inter Divos jam repertum,
Cornuque, quod concedens fatis
Reliquit vobis inſonatis,
Latos ſolvite clamores
In ſingultus et dolores;
Nam quis non triſti ſonet ore
Conclamato venatore,
Aut ubi dolor juſtus niſi
Ad tumulum EVANI RISI?
Hic per abrupta et per plana,
Nec tardo pede, nec ſpe vana,
Canibus et telis egit,
Omne quod in ſylvis degit.
Hic evolavit mane puro,
Et cervis ocyor et Euro
Venaticis intentus rebus.
Tunc cum medius ardet Phœbus

Indefeſſus

Indefeſſus adhuc quando
Idem occidit venando.
At vos venatum illo duce
Alia non ſurgetis luce,
Nam mors mortalium venator
Qui ferina nunquam ſatur,
Curſum prævertit humanum,
Proh dolor! rapuit EVANUM.
Nec Meridies nec Aurora
Vobis reddent ejus ora;
Reſtat illi nobis flenda
Nox perpetua dormienda:
Finivit multâ laude motum
In ejus vita longe notum;
Reliquit equos, cornu, canes,
Tandem quieſcant ejus manes.

EVANO RISE
THOMAS MANSEL
Servo fideli
Dominus benevolus
P. Ob. 1702.

*LUDUS ANSERINUS.

LÆLIUS et, meritum cui præſtitit *Africa* nomen,
Scipio, queis luſus alea jacta tulit,
Auxilio venient, ſiquis ſapientior æquo
Digna minùs *Muſis* me cecinisſe putet.
Carmen *Ulyſſis* iter Famæ ſacravit *Homeri*.
Noſter *Odyſſeæ* res quoque verſus habet.
Hîc *Iter*, et *Circe*, et Putei ſub imagine *Scylla*,
Hîc *Labyrinthæi* eſt ars ſinuoſa *Doli*.
Hîc Carcer dirum *Polyphemi* ſuggerit *Antrum*,
Hîc *Mors* eſt, cunctis pœna luenda viris.
Cùmque hæc audendo diſcrimina viceris, almo
Penelope hîc recipit, meta petita, ſinu.
Quòd charta *Anſeribus* circùm ſcatet undique, fingas
Hic *Capitolino* de *Jove* ludus erat.

Anſer

* Anglice, *The Game of Gooſe*.

Anſer ſed quoniam regit et *Fortuna* viciſſim,
Diviſum imperium cum *Jove Diva* tenet.
Auſpice vel *Jove* vel *Divâ*, via longa terenda eſt,
Et nexæ oppoſitû dura ſubinde moræ.

Se primò objectat *Flumen*, tamen, ære ſoluto,
Pons adverſantes vincit amicus aquas.
Illicò ſollicito trepidant dum corda timore,
Ne ſibi fauſtus opem per tua damna feret
Adveniens ſocius; velut unda ſupervenit undam,
Te fugat hic, emptus qui fuit ære, loco.
Sic *Satrapas* per multa gravi ſuperata labore
Sub facili tandem Principe ſumma tenet.
Vix grates egit, cum Regi charior alter
Excipit hunc, fatum mox ſubiturus idem.

Uno quot victo vincenda pericula reſtant?
Te, cave, ne capiat fraude *Taberna* levis.
Huc ſi forte tuam ferat alea lubrica ſortem,
Haud maneas. *Circen* hæc domus atra tenet.
I, ſimul ac unum raptim potaveris hauſtum,
Plura venenato pocula ſelle tument.
Hâc ſemel evaſâ, per apertum curritur æquor,
Si *Puteam* poſſis tranſiliiſſe fugâ.

Fat

Fata obſtant:—triſti fons ac inamabilis undâ
Alligat, et *duplici compede* crura tenet.
Protinùs ima petis largo inſatiabilis hauſtû,
Quô quaſi plus potæ, plus ſitiantur aquæ.
Vix demùm emergens ſuprà caput eminet undas,
Cum ſortem emeritam ſors aliena movet.
Haud ſecùs, æſtivo cùm tempore *Sirius* ardet,
Pertentat, flammas quò levet, alta puer.
Corripit hunc vortex, rapidoq; volumine merſum
Bis vorat, et totiès evomit, ore fremens.
Prætereuns, bona ſic voluerunt fata, viator
Jam vix viva feris membra revellit aquis.

Intùs nunc gaudes, ignarâ mente futuri;
Vertigo ex nimiâ ſpe ferit orta caput.
Hinc *Labyrinthæo* malè *Gurgite* captus inhæres;
Quem retrò, veluti cancer, eundo fugis.
Sicut ubi rerum farrago ponderis expers
Forte ſuper ſummo volvitur acta mari,
Multiplici, ceu turbo, diù circumvaga gyro
Æſtûs mox refluis ejiciatur aquis.

Cautior hinc pergis; tantâ at vertigine cæcum
Lumina conſilii ſpernit amica caput.

Mox citior properas, duplicatis paſſibus; auctâ
Præteritas redimens mobilitate moras.
Neſcis at, ah! præceps mala quot tuus impetus adfert;
Plectit præproperos *Carceris* ira pedes.
Hanc tamen inviſamque domum, multùmq tremendam,
Non hanc, ni pendas æra, ſubire potes.
Sic per *Iter* tetrum vario diſcrimine *Vitæ*,
Si modò de recto calle viator abit;
Lapſa tenax parti captat veſtigia carcer,
Punit et infidos dura catena pedes.
Vera hîc Paupertas, Squalor, Tenebræq; Fameſq;
Barbarico hîc Cuſtos ſævior hoſte furit.
Exigitur nummus, pretium *Hunc* venientis in *Orcum*,
Proh pudor! haud *gratis* hîc miſer eſſe poteſt.

Hiſce ſed amotis, *Ludum* repetamus et *Umbram*
Carceris, et paſſos hîc leviora pedes.
Hinc tandem alterius damno pœnâque redempto
Inceptam tibi fas, quà patet, ire viam.
Sed mala, (ſic aiunt) nunquam niſi in agmine vadunt.

Diruit

Diruit exſtructas Spes *Libitina* ferox.
Extremis veluti redeuns mercator ab *Indis*
Cui ratis *Eoas* læta reportat opes,
Cùm jam ſpe plenus pleno ſubit oſtia velo,
Ecce, vel in portû fracta carina perit.

Jamque aliquis tardo ſubitò felicior auſû
Victrice et metam tangit et Æra manû.
Illicò diſmiſſæ Tabulæ: dubiumque videtur
Num Victus mœret, ſeu magè Victor ovat.
Sicuti cùm auratam ſuſpendit in æthere libram
Jupiter, ante ortum fata futura videns.
Quantùm ad demiſſam tendit lanx altera terram,
Altera tantùm agili ſurgit ad aſtra fugâ.

PROLOGUS *in* PHORMIONEM.

INTUS parantur dum ludi, huc ego prodeo
Veniam precatum pueris, qui pavidi licet
Metuque ſuſpenſi dubio, vobis tamen
Terentianam deſtinant comœdiam.
Favete—nam quid inexperti nos poſſumus
Frequentiæ par tali, vel dignum auribus
Proferre veſtris? quippe qui requiritis,
Theatra quales ſtipata exhibent, viros
Exercitatos, longus quos finxit labor:
Uſuque doctis multo, queis pervenerint
Latera, venuſtas, oris confirmatio,
Geſtuſque vis decora: ſeu grandi velint
Niti cothurno, ſive habilem juvat magis
Aptare ſoccum, commodum facetiis.
Accedit adjumentum nec lève, aurei
Splendor theatri multis aucti ſumptibus,
Decuſque ſcenarum hinc & hinc fulgentium;
Tum virgines circum aſſident, cœtus favens
Uſque hiſtrioni, quique judices ſuâ

Severiores

Severiores mollit elegantiâ:
His noſtræ quantum diſcrepant! quam diſpares
Nos! qui decoris omnis omnino rudes
Præcedimus, nec artem docti ſcenicam.
Nil noſtra pulchri, cernitis, nil ſplendidi
Ornant theatra: nulla porro his ædibus
Succedit uſquam mulier; extra unam aniculam.
Quid fiet hodie nobis? quid reſtat ſpei?
Confugimus ad vos, ſummi, quod ſupereſt, viri;
Petimuſque veſtræ memores ut pueritiæ,
Tanto obſtupentes et perculſos lumine
Pueros miſellos vultu recreatis bono.

Et tu*, ſecula cujus juſſu mollia
Hodierna ſe pandit ſcena, et labor levis
Movetur; his tu, ſint quicunque, luſibus
Adſis benignus! interim obliviſcere
Pompas frequentes, lautitiamque, quam tua
Magni paravit GRANTA in adventum hoſpitis,
Adſis benignus! ne requiras illius
Lucis nitorem; hic ſacra deſunt pocula,
Quæ multum amato mater alma filio

Fudit

* Dux de *Newcaſtle.*

Fudit beata, nec tamen nobis, iners
Ceſſat voluntas: votis te vocavimus.
Nec, noſtra quamquam ſumptuoſa ſit minus,
Libentius facta iſta gratulatio.

Schol. Weſtmonaſt.
1740.

FIDES FLUCTUANS.

O Deus æterno lucis qui abſconditus orbe
Humanos fugis aſpectus, da cernere verum,
Da magnum ſpectare diem immutabilis ævi,
Da contemplari nullius in Infera noctis
Lapſurum Solem, ſpiſſas caliginis umbras
Adventu diſpelle tuo; pernicibus alis
Ocyus advolitans animam Tu ſiſte ſolutam
Mobilitate ſuâ, rapidæ quam curſus aquai
Deturbat ſecum, atque in cæco gurgite condit.
Attamen ex fluxû hoc rerum miſeroque tumultu
En! vultus attollo meos. O, porrige dextram,
Eripe, ut excelſo figam veſtigia ſaxo.

O Deus

O Deus, O Centrum rerum, Te percita motu
Arcano circumvolitant cuncta atque requirunt
Nequicquam, quoniam æternâ te contegis umbrâ.
Intereà dulci perflas mea pectora amore,
Et ſuſpirantem volupe eſt tibi ludere mentem
Ignibus occultis, non talibus æſtuat Ætna
Intima cum accenſas eructet flamma favillas
Pleniùs, et lato ſpargat ſua viſcera campo.
Omnia ſollicitæ mecum quæ mente revolvo
Somnia ſunt? ſtulteque animi ſatagentis inane
Figmentum? ſpes noſtra perit radicitùs omnis?
Expectata diu vacuas vita exit in auras?

Hei mihi, quam immenſæ involvor caligine noctis!
Subſido, pereo, repeto jam materiai
Infenſas tenebras, et alienæ vincula mortis.

Quæ me Intemperies agitat! Reſcindito cœlos,
Summe Deus, tantoſq; animi componito fluctus.

HENRIC. MORE. A. M.
Coll. Chriſt. CANTAB. *Soc.* 1647.

ISAIÆ

ISAIÆ. cap. 14.

IO dolores et querimonias
Turpeſque luctus projice,
Judæa Tellus, I ſuperbum
Tolle *Sion* rediviva culmen.

Fregit potentem magna Dei manus
Virgam Tyranni, concidit urbium
Regina, victoreſque reges
Turpe ſolum tetigere mento.

Jam nec relicti ſanguine civium
Tinguntur agri, nec furor impius
Impune graſſatur per urbes
Imperiis minitans ruinam.

Victus cruento pulvere corruis
Jaceſque inultus; jam fragor arduus
Reſidit armorum; et ſolutus
Servitio requieſcit orbis.

Cernis? ſerenos lætior induat
U terra vultus! cernis? ut abietes
Per montis exultant cacumen
Et *Libani* decora alta Cedri.

Ipſæ inſolenti non ſine murmure
Sylvæ triumphant: jam Babyloniam
Ridemus illæſi ſecurim,
Nec viridi viduamur umbrâ.

Tibi Barathro motus ab infimo
Aſſurgit Orcus ſceptrigeras ciens
Circum catervas: te tyrannûm
Purpureus veneratur ordo.

Ludum inſolentem ludere pertinax
Tene occupavit dura neceſſitas?
Superbe victor, te ſub umbras
Vis rapit imperioſa lethi?

O ut receſſit pompa minacium!
Ut fracta virtus! *Aſſyriæ* jacet
Regnator, impaſtique vermes
(Fœda cohors) populantur artus.

Cer

Ut

Ut decidiſti, ſplendide LUCIFER
EOA proles! occidit, occidit
Porrecta majeſtas ab ortu
Solis ad Heſperium cubile.

At tu minari quidlibet impotens
Tyranne nuper, "non ego longius
" Morabor in terris, ſed arces
" Ætherias, liquidaſque tangam

" Domos JEHOVÆ; nam mihi maximus
" JEHOVA cedet: me venerabitur
" Proſtrata tellus, me benigno
" Thure colent precibuſque gentes".

Dixti: furores ſed minuit DEUS.
Nam te triſulcum fulmen ad infimas
Detruſit umbras, et profundo
Lurida mors cohibet ſub orco.

Fors it viator ſolus, inhoſpita
Dum teſqua luſtrat, flebile conſpicit
Cadaver, inviſamque frontem,
Sic dubio meditatur ore:

" Ergo

" Ergon' et ingens, hic *Babylonius*
" Regnator? Hic eſt, qui modo proruit
" Duces, et exegit tyrannos?
" Qui pavidum tremeſecit orbem?

" Atqui tyrannos magnificæ tonant
" In morte ſedes: tu ſine nomine
" Projectus inviſum cadaver
" Alitibus, canibuſque præda;

" Nam nec ſepulchri te patrii teget
" Auguſta moles; nam neque laurea
" Manes obumbrabit ſuperbos,
" Nec decoris monumenta feri.

" Tropæa ſurgent ſed ſine gloriâ,
" Condentur omnes illacrymabiles
" Quicunque dextras immerentnm
" Sanguine commaculant tyranni.

" I ſtringe ferrum, morte luant ſcelus
" Nati parentum; non ego quem genus
" Mortale, quem cœleſtis ordo
" Invocat Omnipotens Creator.

" Non cui rubeſcit fulmine dextera
" Impune læſum conqueras impotens
" Numen, ſed extinguam nefandæ
" Nomina relliquiaſque gentis".

Jehova dixit: quà *Babylon* caput
Sublime nuper regia ſuſtulit,
Hic ſtabat informis profundi
Unda lacûs, laticeſque fœdos

Inter paluſtris perſtrepit Ardea
Lugubre plorans: improba ſenties
Tellus, quod indignata magni
Dextra DEI, ſcelerumque vindex

JEHOVA poſſit: " protinus et ſacro
" Super *Sionis* culmine principes
" Frangam ſuperbos, et minacem
" Subjiciam pedibus tyranni.

" Surgatque tandem libera vinculis
" *Judæa* tellus: ſic placitum mihi".
JEHOVA dixit: quis potentis
Conſilium DOMINI refringet?

PUPÆ

PUPÆ GESTICULANTES.

EXIGUÆ gentis mores, ſimulataque vivis
Corpora, laſcivoſque jocos, et non ſua ligni
Verba cano; tenuis faveat mihi parva canenti
Muſa, decet noſtram tenuem res parvula Muſam.

Fama volat ſubitò totam vulgata per urbem
Adveniſſe Pupas, coeunt et nocte frequentes
Magna manus juvenum, nec ego ſimul ire rogatus
Ipſe recuſo comes, totoque, ut ſemper, in orbe,
Hic etiam, ſedis dat primæ nummus honorem.
Protinus apparent modico ſimulachra theatro
Lignea, picta, virum juſtos referentia motus,
Namque oculos, et colla movent, et brachia jactant,
Cruraque, et humano figunt veſtigia greſſu.
Fila tamen viſu facilè cernuntur acuto,
Quæ ſuſpenſa regunt artus, motuſque gubernant.
Hæc numeros ſubeunt tragicos, parteſque tuetur
Quodque ſuas, mæſtiſque alienâ voce querelis
Rex ſua fata dolet, ſua fataque luget amator.

Ecce tamen ſubitò, et medio diſcrimine rerum,
Ridiculus vultu procedit Homuncio, tergum
Cui riget in gibbum, immenſuſq; protruditur alvus,
Punchius huic nomen, nec erat petulantior unquam
Ullus, quinetiam media inter ſeria ſemper
Importunus adeſt, lepiduſque et garrulus uſque
Perſtat, permiſcetque jocos, atque omnia turbat.
Sæpe puellarum denſa ad ſubſellia ſeſe
Convertens, ſedet en! pulchras mea, dixit, amica
Illic inter eas; oculo ſimul improbus uno
Connivens, aliquam illarum quaſi noverat, ipſam
Quæque pudens ſe ſignari pudefacta rubeſcit;
Totaq; ſubridet juvenumq; virumq; corona.
Cum verò ambiguis obſcænus turpia dictis
Innuit, effuſo teſtantur gaudia riſu.
Sed quintus poſtquam jam venerat actus, et omnes
Proſtrati de more ſolo, niſi Dramatis Heros
Punchius; haud ullis noſtrum ſpectantibus, ipſe
Quo pereat telo, quæ demum hunc fata manerent,
Conſtabat; nec enim leges et jura theatri
Vivere permittunt Heroa, ſed ultima ſemper
Vitam ſcena brevem toto cum dramate claudit.
At tandem dignus quoniam jam vindice nodus

Inciderit, vindex ſubitò ecce Diabolus adſtat
Monſtrum horrendum, informe, ingens, proque
indole nigrum.
Ille, licet trepidus, primùm Cacodœmone viſo,
Non fugit ignavus, temerè nec provocat ultrò;
Cum vero accedat propiùs, ſtridore tremendo
Injiciatque manus, validis commiſſa lacertis
Pugna oritur, crepitant malæ; ſed viribus impar
Pluſquam mortales pugnas male ſuſtinet heros.
Audiit at tanti ſtrepitum certaminis uxor
Digna viro mulier, cervix, humeriq; premuntur
Mole pari, ſurſum mentum curvatur, et unco
Occurrit Naſo, latet os ſine dentibus inter.
Illa laboranti ſuccedit prompta marito
Nam (mire!) dilexit eum, ſimul, unguibus hoſtem
Aggreditur, manibuſq; ſimul, pedibuſq; viciſſim
Involat, in medio ſic ambo utrinque laceſſunt
Dæmona, bina ſonant alternis ictibus ora.
Ille autem ſubitò medios complexus utroſque
Avolat, et tenues ſtridens vaneſcit in auras.

In Obitum

JOH. RADCLIVII. *M. D.*

FRUSTRA quot herbas terra parens alit,
Fruſtra ſalubres, quot Chymia exprimit,
Noris liquores, non caducam
Arte queas revocare vitam.

Quod ſi domantem cuncta *Proſerpinam*
Uſus medendi, aut *Pæonius* labor
Fugare poſſent, non peritum
* *Phœbigenam*, *Jove* fulminante, †

Merſiſſet orco dura neceſſitas.
Non grande *Coæ* præſidium ſcholæ‡
Vidiſſet umbras; pharmacive
Rite ſciens §*Phrygius* magiſter.

Nec

---

* Chironem. † Hippocrates Cous. ‡ Galenus Pergamenus.

vid. Pag. 70. § *Ptolemæus* bibliothecam incredibili librorum numero inſtructam *Alexandriæ* iuſtituit, quæ *Saracenis Ægyptum* vaſtantibus, flammis periit.

Nec te *Britannûm* prime Machaonum,
Te fleret omnis *Caſtalidum* chorus,
Verſumque lugubrem pararet
Egregiæ, leve munus, umbræ.

Retro fugaces ſed tibi *Delius*
Donaret annos; ſed roſeo ſalus
Vultu renidens, & juventas,
Perpetuum renovaret ævum.

Quin ſacra tellus relliquias licet
Servet repoſtas, non ſimul interit
Præclara virtus, nec ſilenti
Splendidior ſeries laborum

Jacet ſepulchro; ſed ſpatium bonis
Extendit ultra, & pulchra minantibus
Cœlum recludit, uſque penna
Fama volans metuente ſolvi.

RADCLIVE, vives tempus in ultimum,
Dum volit undas *Iſis* amabiles;
Virente ripa dum potentes
Exilient, medicamen, herbæ.

Locante

Locante nam te, *Cecropidum* domus,
Tuo dicatum limen *Apollini*,
Aſſurget olim; qua decoro
Ordine *Socratica* tabellæ,

Arteſque centum, & Dia Scientia,
Longum niteſcent; qua decus *Atticis*
Perenne chartis, & *Latinæ*
Stabit honos, pretiumque Muſæ:

Damnoſa quæ non imminuet dies?
Non barbarorum diluvies nova
Vaſtabit, occludentve cæcis
Raſa cohors, monachi, latebris.

Nec ſi profanis arſerit ignibus
Regale tectum, nobile conditis
Intus libellis, quot coemit
Largus opum *Ptolemæus* auctor; *

Hæc ſorte tali mœnia concident,
Experta flammas: non temere hic ſedet
Apollo cuſtos, aut inani
Reſpicit auſpicio *Camœnas*.

* Vide Not. Pag. præcedentis, viz Ptolemæus &c. Ille

Ille & medentum ſpes juvenum minus
Firmas benigno numine ſulciet
  Quaſcunque per terras ſciendi
    Impulerit generoſus ardor.

Seu *Franca* tellus ridet amœnior,
Et ſplendor aulæ *Borboniæ*; juvat
  Sive arva *Saturni* videre,
    Et veteris decora alta *Romæ*:

Quoſcunque fines viſere geſtiant,
RADCLIVE, grata te recinant lyra,
  Tuaſque laudes; te, reverſi,
    In patriis imitentur oris.

N—. BROXHOLME, *A. M.*

Articulorum aut Liturgiæ Subſcriptio ex Privata Interpretatione contra Sententiam receptam & definitam non eſt admittenda.

ERGONE dilectus matri, & conjunctus amore
Fratribus, interpres veri rigiduſque ſatelles,
Qui fraudem toties aliorum illuſerat arte
Divinâ, tandem fraudes meditatur & ipſe;
Inque ſuam matrem diris accingitur armis?
Heu quis te miſerum nobis malus abſtulit error,
Aut quonam, infelix, prætexis nomine culpam?
Tu cœli decreta tuâ ratione reflectes?
Tu ſenſus, quoſcunque velis, inducere ſcriptis
Æternis, ipſumque Deum, quâ debuit uti
Voce, docere paras? nec te pia dicta priorum,
Nec te commoveat veterum reverentia patrum?
Quos virtus tamen, & vitæ ſperata voluptas
Æternæ, induxit noctes vigilare ſerenas,
Ut poterint noſtræ præpandere lumina menti;
Et dubitamus adhuc ſanctis confidere dictis?

Sed

Sed quis erit modus, aut quo nunc certamine tanto?
Illicet ipſa fides nihil eſt niſi nomen inane,
Si quoties dubiam traxit ſententia mentem,
Jam clavum ſibi quiſque petant (heu ſponte carinas
Pellentes in ſaxa ſuas) & amore docendi
Privatos animos in publica damna fatigent.

At nos relligio non tali lege gubernat,
Nec te, Falſe, ſuo dudum ſub pectore fovit,
Ut concuſſa fides ſub defenſore vacillet.
Illa quidem vera eſt, & veros eſſe miniſtros
Poſtulat, interni ſenſûs interprete linguâ
Utentes. Quid enim voces natura docebat,
Ipſa quid utilitas expreſſit nomina rerum;
Si liceat ſine mente ſonos emittere fruſtrà,
Vocibus & fictis veros deperdere ſenſus?
Sic cito relligio quæ gaudet ſimplice cultu,
Indueret ſpecies varias, & mille figuras,
Bellua multorum capitum, ſibi diſcolor ipſi.
Nec melius monſtraret iter divina lucerna,
Quam dubius fatuuſque ignis, qui ſæpe per agros
Deſertoſque locos ſubluſtri noctis in umbrâ
Incautos homines mendaci lumine fallit.

Interea

Interea pietas poterit nihil ipſa valere;
Sed fluitans errore vago, cui credere debet
Neſcia, deſperans animo, vix crederet ulli.
Qualiter occurſu diverſo mille viarum
Per curvos nemorum anfractus ſub luce malignâ
Sæpe viatorem deludit lubricus error;
Inter tot varios flexus varioſque reflexus
Semita nulla placet, neque diſplicet ulla; ſed ille
Flet noctem, miſeriſque ſedens loca queſtibus implet.

I nunc, infelix, tantâ impedente ruinâ,
Articulos fidei verbis illude ſuperbis;
Ah potiùs ſpes ſiſte tuas, ſanctiſque priorum
Adde fidem dictis, gravior ne nuntius aures
Vulneret, & læſos Deus ulciſcatur honores.

At vos, in dubiis divinâ lege magiſtri,
Depoſiti ſacri quibus eſt cuſtodia curæ:
Quò magis eſt exhauſta fides, hoc acriùs omnes
Pergite collapſæ fidei ſarcire ruinas.

Illuſtriſſimo

Illuſtriſſimo Thomæ, de *Novo-Caſtello* Duci,
Suoque Patrono ampliſſimo,
ROBERTUS FREIND. S. T. P.
Hodie *Ædis Chriſti Canonicus.*

DUX bone, et rerum columen mearum,
Quo meis ultro precibus præire
Tendis, et votis, bene de immerente,
Uſque merendo?

Nuper antiquæ, auſpice Te, reverſus
In ſinum Matris, colo *Templa Petri*,
Quâ mihi *Auguſtæ* occiduam ſalutat
Thameſis oram.

An novos porro cumulare honores
Deſtinas! me *Wolſeiis* redonas
Mœnibus civem! mihi præter omnes
Hoſpita, Muſis

O placens, ſalve, Domus! alma Nutrix
O Juventutis prius! O Laborum
Suave Lenimen, Requieſque feſſæ
Sera Senectæ

Quam memor mores, ſtudia, et Sodales
Et quid hic olim, quid et hic peregit,
Acta reſpectans meaque, et meorum
Sæpe revolvo

Seu gravis *Felli* imperium verendum
Cogito, lætam *Aldrichiive* frontem,
Qui nec adduxit rigide, nec uſquam
Fræna remiſit

Sed, ſciens ipſe, et celer augurari
Quemque quo ferret Genius potenter,
Indolem Turbæ juvenilis omnes
Finxit ad artes

Seu Atrii, aut Aulæ ſpatia ampla luſtro,
Regias moles oculiſque ſigno,
Angulus docti Senium hic alebat
Mite *Pococki*

Ille

Ille præcana et veneranda *Jani*
Tempora: huc, illuc, abivis eunti
Priſtinæ vitæ quoties recurſat
Dulcis Imago?

Sic teram paucos meditando Soles,
Scena languentem hæc recreet Senectam:
Hæc Dies, ſi Fata ſinunt, caducum
Proroget ævum.

Jure ſuccedunt bene quæ precamur:
Vendicat primas Hominumque, Rerumque
Arbiter ſummus, nequę Tu ſecundas
Reſpue grates.

Dát. ex ÆDE CHRISTI.
3 Kal. Aprilis. A.S. 1737.

Heu! quantum per ſe candida forma placet!

PROP.

UT primum ſpexere malè vaga lumina *Stellam*,
Mens mihi tum qualis, væ mihi qualis erat!
Candida ſubfuſcis decorantur colla capillis,
Lacteoloque ſinu nix animata tumet.
Plurima fuſa genas ardentes lilia candent,
Pingitur et roſeis purpura viva labris.
Quantus ineſt oculis fulgor! quàm fœdere certo
Nunc ſua tela pudor, nunc ſua mittit amor!
Sive canit virgo, ſeu muſica cymbala pulſat;
Par eſt in digitis, par et in ore melos.
Dum rutilant oculi, loquitur dum mellea lingua,
Quàm digna eſt homines, digna movere Deos!
Arte nitet vulgus: formoſior arte videri
Tu, mea *Stella*, negas; tu mea *Stella*, nequis.

Concoctio non fit per Acidum.

QUALI metallum fusile menstruo
Undanti aheno, Chymice, solvitur;
Talem Prometheâ fabularis
Vim stomacho appositisse nostro.

En! bella plusquam civica sal sali
Congressus alvo concitat, & cibi
Ardore pugnæ dissoluti
In niveos abeunt liquores.

Sic Ætna cæcis visceribus rotans
Incendiorum flumina, montium
Urit medullam, & vorticosis
Saxa fluunt liquefacta flammis.

Volcanum at imo pectore qui geris,
Unde est tibi istud robur, & æs triplex,
Quod munit intus sævienti
Viscera non peritura chylo?

Incluſus aer quin meljus coquit,
Et fortiori muſculus impetu
Thoracis urgens, dum miniſtrat
Perpetuos Diaphragma motus.

Hinc eſt, Orexin quod ſibi provocat
Thorace tenſo trans Tiberim natans:
Et fortiter nervos moventi
Hinc equiti bene cocta cœna.

Ruris colonos hinc acuit labor,
Paneſque duro vomere faucii
Vorant caninos, haurientes
Flumen aquæ ſitiente fauce:

Sed lauta rhombos *Leſbia* reſpuit,
Sub dente creſcit difficilis cibus
Vinum pytiſſantis, ſuperbo
Singula dum male tangit ore.

Quæ cauſa tantæ, Chymice, nauſeæ?
Quid? Num calorem *Leſbia* non habet?
Natura molli num puellæ
Pectora frigidiora fecit?

At intumescunt sanguine mammulæ:
Salitque venis purpureus liquor:
At ipse flagro, & palpitantem
Urit amor meliore flamma.

R—. SEDGWICK, M. B.
Aul. Cath. Cantab. 1714.

Forma Bonum fragile est.

FONTE repercussam *Narcissus* viderat umbram,
Ardet et insano captus amore sui.
Mendacis pulchrâ deceptus imagine vultus
Se puer ipse fugit, se cupit ipse puer.
O *Narcisse* tuo peris ictus vulnere! formam
Quis vivo invideat, cum tulit ipsa necem?

PILA PEDALIS.

INNOCUI Mavortis opus, ſimulataque bella,
Æmulaque impulſæ memoro certamina pilæ.

Quin agite, O Juvenes, mecum, quibus inter-
ger ævi
Sanguis, et intrepidæ ſolido ſtant ordine vires;
Quo fremitus vocat, et ſublatus ad æthera clamor,
En! coeunt glomerata patentibus agmina campis.
Fit globus: in partes ſeceditur, exit utrinque
Bello lecta cohors, medium jam pila per agmen
Cum ſonitu concuſſa volat, jam plurima circum
Curſitat hinc atque inde vagans, et mille pererrat
Acta redacta vias, trepido dum cuncta tumultu
Miſcentur; tum ſorte aliquis ſpe ductus inani
Ocyus obliquo labentem tramite pilam
Præripit accurrens, et campum nactus apertum
Avolat; infelix! qui non reſpexerit hoſtem
Inſtantem tergo: proſtratus vindice plantâ
Volvitur, et præceps ingentibus excidit auſis.
Jamque recrudeſcit bellum, jam corpore toto

Certatur

Certatur: premitur pede pes, urgetque virum vir.
Ilicet horriſono crepitant ſub vulnere crura,
Corpora tum paſſim, nequicquam fortia, campo
Sternuntur: fors et virtus miſcentur in unum:
Inſtabilis neſcit cui ſervit pila magiſtro.
Qualis Trojanos olim forteſque Pelaſgos
Inter, pugna ſuper Patrocli corpora fervet.
Hic minitans ſtetit Hector, et hic Telamonius Ajax:
Exoritur clades, et plurima mortis imago.
Inſtant vi validâ retrahuntque trahuntque cadaver,
Nequicquam, dubiis medius Mars errat in armis.
Intereà pilam veteranus corripit ardens
Turbam inter ſtrepitumq; volans; ſed cautior hoſ-
tem
Eludit gyro exterior fallitque ſequentem
Tramite in offenſo provectus; jamque propinquam
Attigerat metam, verum hic violentius æquo
Dum properat, pœnam meruit temeraria virtus.
Namque uno pendens belli molimine fatum
Confeciſſe ratus magni male prodigus auſi
Fallaci pede lapſus inanes fævit in auras.
Occurrit cuſtos pugnæ mora; jamque ſub ipſo
Limine caſtrorum certamina dura reſurgunt.

Plurimus

Plurimus occurrit circum prætoria miles:
Calci calx illiſa urgetur, pectore pectus,
Infeſtiſque animis, velut olim Brutus et Arnux,
Concurruntq; caduntq; pares, ſurguntq; ruuntq;.
Ecce laborantes ſocios et caſtra relinquens
Nobile par medio ſeſe procul agmine ſiſtit.
Si qua labentem ſi forte per avia pilam
Excipiat bellumque hoſtilibus invehat oris.
Nec mora: magnanimos auſus fortuna ſecundat:
Pila volans aderat, violentaque proſilit unà
Conjurata manus, vacuique per æquora campi
Procurrens impune ruit, nudataque caſtra
Invadens ſummo conſiſtit limine victrix.
Sic olim Latias dum terruit Hannibal oras
Punica Scipiades inopini fulmine belli
Oppida concuſſit: victrices Hannibal alas
Nequicquam revocat Cannarum ſtrage ſuperbas,
Nequicquam Carthago tumet, jam diruta luget
Mœnia, Romanoſque fatetur victa triumphos.

Antrum Richmondienſe.

DULCE felicis penetrale ſylvæ,
Quo magis jactat placidos receſſus
Nulla nympharum domus, aut Deæ ſpe—
—lunca Dianæ,

Splendidum non te laquear, reciſæ
Rupe non ornant Pariâ columnæ:
At rudis ſaxi nec ineleganti
Simplicitate,

Et levi muſco meliùs renides;
Quando abeſt omnis pavor et tumultus
Te procul, curæque ſuperba circum
Tecta volantes.

Perfruens docto CAROLINA per te
Otio veri ſapientiæque
Intimos fontes aperit, ſimulque
Mente revolvens
Arduas

Arduas res imperii, Britannæ
Providet famæque opibuſque gentis,
Et ſtudet pacato iterare ſec'la
Aurea mundo.

Pondus Auguſtis ſed et hinc novamque
Sufficit vim conſiliis, et ævo
Conjugis tradit decus ampliatum
Regia conjux:

Nec minùs, CÆSAR licet almus abſit,
Quiſque ſe ſentit Britonum beatos,
Illa dum regni vice deſtinatâ
Tractat habenas.

HOROLOGIUM PORTABILE.

ARTIS opus, quale haud unquam Vulcanus in antro
Finxit, Achilleis quanquam certaverit armis
Æolides, humeroque et famam et fata nepotum
Gesserit Æneas, memoro: Pater, annue cæptis
Phœbe, nec invideas, quod et æmula machina nobis,
Parva dies metitur et irrevocabile tempus;
Quod tuus ille labor tantillo luditur orbe.

Prima tumet medio vitræ pellucida frontis
Area, deceptamque manum improvisa repellit;
Ostioli subit illa vices, eademque fenestræ,
Suppositamque aperit scenam, illusamque figuris
Laminam, et horarum cælata ex ordine signa.

Cæruleæ manus artificis testudinis infrà
Subjecit testam, forte illic vestiit auro
Pastorem, et simili flavescit avena metallo.
Ille dies noctesque sonans Amaryllidis iras

Perditus, haud intus fugientia tempora curat:
Stat circum & dominum miserans pecus arrigit aures.
Ne tamen hoc quovis munimen futile pulsu
Deficiat, tunica in similem curvata figuram
Interior subit, atque aurato consonat arcu.

Quali seu laterum æternos natura labores
Fornice, seu validis circum caput ossibus hæret,
Nequid opus cerebri divinum sistere, nequid
Lædere cellarum centum deducta fluentis
Officia et plexus posset, turbetque premendo
Spirituumque domos et sacra palatia vitæ.
Vertuntur medio rotulæ, denteſque vicissim
Dentibus impediunt, onus et commune laboris
Partitæ, inter se discrimina debita servant;
Ne nimia alterius motum vicinia dentis
Implicet, aut morsu distantia ludat inani.
Primam harum gracili super axe voluta catena
Vi trahit assiduâ, quam prima sequentibus addit,
Principium motus, illâ cessante, per omnes
Continuo similis rotulas ignavia serpit.
Illa moras reliquis simul increpat, omnibus idem
Fit labor, et dominam comitatur stridulus ordo.

Semota hîc inter penetralia, pensilis auri

Vertitur

Vertitur alternis vicibus revolubile pondus;
Tinnituſque ciet properos, repetitque movendo.
Hoc nimium excitis injecta mole tenorem
Suadet, et æquato cum tempore currere paſſu.
Quod ſi forte aliquas ſordes incuria pinnis
Miſcuerit, ſeu ſit penitus revoluta catena,
Occupat una quies dominum, tremulumque metallum.
Ille horam a muto nequicquam mane requirit,
Ne vero conſulto unquam reſponſa deeſſent
Qua cardo oſtioli connectitur, aurea juxta
Clavis adeſt, ea verſa manu, pinnamq; prehendens
Delapſos retrahit motus, iteratque labores.

Summa operis facie duodenis orbita ritè
Horarum indiciis inſcribitur, illa reverſi
Orbibus oſtendunt digiti duo, tardior horis
Invigilat, meliorque fuga properantibus inſtat
Momentis, et jam prævertitur impete fratrem
Elapſus ſtadio prior, emenſoque recurſu
Rurſus adeſt, jam jamq; tenet, captumq; ſuperſtat;
Reſponſumque unum conſenſu cuſpidis edit.

Ne ſint ſigna tamen fraudis rea, circinus æquum
Partitur cunctis ſpatium, ſimul impetus idem

Uſque regit digitos, quo ne violentius acti
Tranſiliant metam, aut præeuntia tempora linquant.
Talis fida comes loculis data tempora ſervat
Machina, quam decies eductam conſulit horam
Acer amans tardam incuſans, laudatque morantem.
Mercator; ſtultos ſtrepitu increpat illa, nec unquam
Mercatori operas, aut noctem invidit amanti.
Sæpe etiam melius fatum ſortita, pependit
Virginis egregium lateri decus; ignea gemmis
Fibula, ſeu circum ſtellatus iaſpide ſulva
Balteus innectit, reliquiſq; novum additur aſtrum.
Haud ſecus auratâ dependet terra catena,
Quam Patris æterni ad ſolium pia cura revinxit,
Illa mari et campis ſibi diſcolor, oppida et urbes,
Regna etiam ſecum vehit et certamina regum.

In DUCEM MARLBURIUM.

QUI belli aut pacis virtutibus aſtra petebant
Finxerunt homines ſecula priſca Deos.
Quæ *Martem* ſine patre tulit, ſine matre *Minervam*
Illuſtres mendax Græcia jactat avos.
Anglia quem genuit, jacet hac Homo conditus urnâ,
Antiqui qualem non habuere Deum.

Idea Spiritûs non eſt æquè clara ac Idea Corporis.

DUM mens alma caput cerebrique palatia celſa
Occupat, & famulos ſublimis dirigit artus,
Et facili imperio nervorum flectit habenas;
Illius ad nutum ſenſus extranea rerum
Explorant ſigna, & ſtudio exemplaria fido
Ad dominam adducunt; vel qui ſtatione locantur
Vicinâ, capitiſque tuentur limina, ocelli,
Nareſque auriculæque, & vis arguta palati:
Vel qui per totam currit ſparſo agmine molem
Tactus, ad extremas ſpeculator corporis oras.

His ſenſim auxiliis inſtructa fidelibus olim
Mens humilis, nulloque jacens ingloria cultu
Carceris in tenebris, mox ſeſe attollit in auras
Dives opum variarum, & ſidera ſcandit Olympi:
Scandit tuta ſatis, dum præceptoribus iſtis
Auſcultare velit; quòd ſi confinia tranſit

Corporea, & ſpretis longè cuſtodibus, umbras
Inſequitur tenues & non tractabile cœlum,
Infelix cadit, & deluditur impare captu.

Nam quia corporeis ſibi prima exordia rebus
Notitiæ deduxit, in has revoluta figuras
Omnia dein animi ſimulachra neceſſe recurrant.
Exin Semidei bipedumque caterva Deorum
Conſtipare polum, barbataque numina paſſim,
Ridiculæ viſu formæ & cœleſtia monſtra.
Mavortem facilè agnoſces: en fronte minaci
Sanguineis manibus patet, inceſſuque ſuperbo:
Atque armata Jovis ſurgens de vertice Pallas
Humani prodit genus ex incude cerebri.
Uſque adeo ætherias mens impar prendere formas,
Deterit indignâ quos pingit imagine Divos.

Sic Venerem quondàm calamis aggreſſus Apelles
Pingere, decerptis formæ melioris ubique
Delitiis cumulat ſurgentem ante ora figuram:
Surripit hinc ſuram teretem, roſeum inde labellum,
Alterius Nymphæ furatur eburnea colla,
Cæſariem alterius; tum geſtus mille decoros,
Et vivos oculorum ignes, tum lucida jungit

Spicula

Spicula, & ex omni collectos Hellade risus.
Instituì cœpit Numen, mortalis at exit
Fœmina, proque Deâ Phyllis vel Celia Cyprum
Imperio regit, & Paphias sibi vendicat aras.

Hactenùs ingeniis sese submittere nostris
Cœlestes odêre animæ, longèque fugaces
Fœda recusarunt hominis commercia manes.
Ignotum solus meditando subjicit orbem
LOCKIUS: ille Deos clarâ sub luce videndos
Protulit, aeriosque sibi conjunxit amicos.
Nota magis nulli domus est sua, quam fuit illi
Tota cohors animarum, & mentis inania regna.

Nos miseri, quibus hæc *Scotorum* propria virtus
Non datur! exiles quando circùm undique ludunt
Mille animæ, miscentq; viris: neque cernitur ulli
Importuna cohors aut se tangentibus offert.

At cui tam miros Natura indulsit ocelios
Circumstare animas dextrâ lævâque frequentes
Miratur, nullâque viam monstrante Sibyllâ
Defunctis fruitur sociis; vetereseque parentes
Ordine consurgunt, & avi numerantur avorum.

Invide-

Invidet interea nobis hæc munera tardi
Pauperies animi, & contractæ mentis egestas.
Nec sentit Belinda levem sortita cohortem
Aeriumque Satellitium, Divosque ministros.
Inscia nimirum, quo defendente protervi
Compositos metuunt venti violare capillos:
Cujus ope ad talos justâ defluxerit imos
Lege, laboratæ concinna superbia vestis.
Dum grato Genius cœlestiaque agmina circùm
Invigilant operi, immeritas Ancillula grates
Mortalis tulit, atque alienos Phyllis honores.



Epitaphium

EPITAPHIUM

Fortibus Luci Coll. Divi Joh. Bap.

Oxonii inſcriptum. 1750.

SISTE, Ambulator, et lúge
Pulcherrimam ****
Hujuſce Luci et nympham et cuſtodem;
Quam
Ex hac *Academicâ* vitâ
Non expulerunt oris devaſtatores, *variolæ*,
Non virginum edax, *chloroſis*,
Sed eheu!
Longæ vacationis tædium;
Ægrè etenim tulit
Satellitibus atque pediſſequis indies ſtipatam,
Tandem *ſolam* relinqui.
Eheu! qualis virgo, et quanta diſceſſit!
Fuit illa
(Nam rure ſordido
Vitam trahit tantùm non mortua).

Tam

Tam raræ formæ
Ut nullam haberet æmulam
Præter *Sororem*:
Tam perita artibus amoris
Ut omnes, et *Graduatos*, et *Non-graduatos*
Gratâ quadam incantatione
Ad ſuas partes facilimè perduceret.
Effera mortalium corda mirè adeò moliebat,
Ut vigilantiſſimo et ferociſſimo *Decano*
Ariſtoteliram detergeret ſeveritatem;
Dato Cymone, fiebat Iphigenia.
Unica erat Academicis Muſa,
Alumni enim, cujuſcunque generis,
Enthuſiaſtico correpti furore
Laudes ejus enixè celebrabant,
Et etiam *Tyrones* extitêre Poetæ;
Hoc teſtantur
Innumera in grabatos ſcripta.
Eheu! qualis virgo, et quanta diſceſſit!
At at ſpes nova
Jam ſubit menti: falſus auguror,
Aderit, aderit
Pleno mox rediviva *Termino*.

TESSERARUM SORTITIO.

SISTE rotam, Fortuna, tuique repagula templi
Solve. Quid Aonios fontes, Nymphaſque precari
Proderit, et ſteriles deſerta cacumina Pindi?

Fallor? an ante fores primoque in limine portæ
Spesque metuſque ſedent, quarum venientibus illa
Monſtrat iter facileſque aditus, valvaſq; patentes.
At clamore deam metus execratur acerbo
Incertaſque preces et inania vota Clientum.
In mediâ Fortuna domo, ſacraſque per ædes
Volvitur, illa preces nullas tractabilis audit,
Inſiſtitque rotæ, et rerum moderatur habenas.

Continuò magnâ venientum compita turbâ
Miſceri, totâ graviter ruere urbe Juventus
Prudentêſque ſenes, populorumq; agmine denſo
Compleri domus, et varium crebreſcere murmur.
Aſpice quos docuit ſelices ducere ſortes
Vana ſuperſtitio; numen magis impare credit

Hic

Hic numero gaudere; monent insomnia multos
Quam malint, quali suspendant fata tabellâ.
Expertos sævamq; Deam, precibusque malignam,
Felicem socios dubiis conjungere rebus
Participesque juvat, si dimidiata duorum
Vota magis valeant, si sic fata aspera rumpant.

Ergo ubi collectas sortes Dea numine cæco
Signavit temere, et tandem commisit habendas
Fatali Fortuna rotâ, volat illa per orbes
Impigra, perpetuoque voluta relabitur axe
Aurea fata, opibusque cavas onerata latebras.

At currente rotâ cæcis emissa cavernis
Exiliunt responsa Deæ; resonantque per ædes
Gaudia, commistusque dolor.—Sors omine lævo
Emicat hæc inter fatis excussa malignis
Agricolæ Corydonis; at hos Ægyptia nunquam
Viderat eventus, caneret cum fata Sacerdos.
Ille pede incumbens oculis dum singula lustrat,
Immanique inhians circumspicit atria rictu.
Protinus ejectam sortem videt; ocyus et se
Infaustumque diem, quo rura reliquerat amens
Multa gemit, templumq; gravi ciet omne querelâ.

Parte

Parte aliâ vates vacuo male paſtus Honore
Fortunæ ignotus ſuccedit ſedibus hoſpes.
Ille loci genium ſruſtrà permulta rogatus
Flectere cum nequeat, vocat in ſolatia muſam
Carmine dulce querens, finitis deinde querelis
Aerias repetit turres, ubi multus apertæ
Inſinuat Zephyrus rimæ aſpiratque canenti.
Quîn et amatoris liceat miſereſcere caſûs,
Cui neque fortunam prodeſt orare benignam,
Nec totidem numeris ſortem legiſſe beatam
Nympha quot exactos anni compleverat orbes.

Ah miſer, ah quoties fallacis flebis amicæ
Blanditias, quoties crudelem nomine dices,
Ultoremque Deum temerati orabis amoris?

Ecce gradu incedit Juvenis per templa ſuperbo
Inſignem quem fronte parens eduxit *Ierni*
Fœmineis aptum choreis, et robore talem,
Qualis Ulyſſei nervum contenderet arcus:
Vota tamen ſtudioque preces effundit inani
Tu flecti fortuna negas, licet ille Dearum
Te ſolam colit atque aris imponit honorem.
Proximus auſpiciis et fatis exilit idem

Virginis annoſæ numerus, promiſerat illa
Progeniem partuſque ſibi, juvenemque maritum.
Diis aliter viſum eſt. Una periere ruinâ
Quatuor ancillæ fruſtrà meliora precantes.
Quem vero ante omnes facilis fortuna beavit,
Cui ſupremus honos et primæ Teſſera palmæ
Invitum memorare piget: non iſta juventus
Præmia, non virtus; ſed triſtis et orba ſenectus
Abſtulit, et lucri nunquam ſatianda cupido.

In Cratera fractum.

SÆPE fuit ſtudium temeto cernere plenum
Te, Crater, vacuum proxima cura mihi;
Te mihi dilectum rapuerunt triſtia fata,
Prô dolor! et tantum ſuſtinuere nefas?
Conſultò factum, ne potem, ſuſpicor eſſe,
Sed male, cui ſitis eſt, conſuluere mihi.

Virtus ſola manet, cætera mortis erunt.

NUNQUAM fitivi, quæ vehit aureo
Pactolus alveo flumina; quo magis
Potatur *Hermus*, tanto avaræ
Mentis Hydrops ſitibundus ardet.

Fruſtrà caduci carceris incola
Molirer arces; quilibet angulus
Sat oſſa poſt manes reponet;
Exiguum ſatis eſt ſepulchrum.

Nil ſtemma penſo, nil titulos moror,
Ceraſve aviti ſanguinis indices,
Sunt iſta fatorum, inque *Lethes*
Naufragium patientur undis.

Ergo in quieto pectoris ambitu
Quid mens anhelas fulgura gloriæ,
Laudeſque inanes, et loquacem
Quæ populi ſedet ore, famam.

Quem, lupi ſævos velut agna rictus,
Mente vitabis trepida: ſub arces
Ceu *Paris Trojæ* male provocatum
Fugit *Atriden.*

Saucio *Pallante* dolebis, ipſe
Saucius: toto reperire campo
Magnus *Æneas* furit, et micantem
Liberat enſem.

Inſtat en! ſumptis CARALOTTUS* armis
Fortis ignavo CARALOTTUS hoſti:
Qualis infidi gener inſecutus
Fata *Lycambæ.*

Nec minor læſi premet ira *Patris*†,
Quem tuus ſtringit ſtilus oſcitantem:
Senties tandem grave *Lambethana*
Fulmen ab arce.

Conſcium ſylvis caput abde, ſylvas
Quære, queis abdas caput, atriores
Vel GODARDEIS‡ tenebris, et umbra
Effuge pœnas.

Literis

---

* Arthurus CHARLOT, S. T. P. Collegii Univerſitatis apud Oxonienſes nuper Magiſter. † Archiepiſc TENISON.

Literis noli gravis esse; noli
Te remorsuros petere invicem, no
Lima jam denti mala viperino
Obvia detur.

Scilicet venam tibi Musa donat,
Musa non mendax tibi donat uni,
Divitem; et *Phœbus* favet ipse tanto
Æquus alumno!

Falleris: magnum *Bavius Maronem*
Vincet, argutos ululæque cycnos:
Attica cantus ave suaviores
Garrula fundet

Pica; quum doctas superare dotes,
Quum mei laudem poteris amici,
Versibusque, ALSOPE, parum Latinis
Tangere honores.

P. S.

---

* Clericus, qui Collectam (*Quæsumus, Jova, discutias lumine tenebras nostras, &c.*) in matutinis precibus legerat.

P. S. *Das ſemur pulli, vice literarum,*
Ad tuos: ÆSOPE, remunerabo,
Ut Lycambeos imitere nodos
Accipe Reſtim.

JOH. U——. A. M.
Coll. Reg. Cantab. nuper Soc.
1737.

Cantilena Anglica.

{ *Of Noble Race was* SHENKIN,
Of the Line of OWEN TUDOR, &c. }

Latine Reddita.

PRÆCLARUS orta *Shenkin,*
Ex ſtirpe *Theodori,*
Ceſſit at à me ſplendor famæ
Veneris furori.

Ocelli

II.

Ocelli *Winifredæ*
Cor ejus perculêre,
Heu! tam crudeli ictu teli,
Non ſperat ars mederi.

III.

Tam expers erat nemo
Vel Pilæ, vel Bacilli;
Curſu ſylveſtri, vel pedeſtri,
Ecquis compar illi?

IV.

Sed gaudia hæc fugêrunt,
Emacerantur genæ,
Cor ita dolet, non ut ſolet
Cepe olet benè.

V.

Non poſthac deglutienda
Promulſis de *Montgomery*,
Si deſit quies, in ſex dies,
Æternùm valeat *Flommery*.

Dialogus

DIALOGUS

Inter *Maubertum** et duos *Britonas*.

Poema recitatum in Theatro *Sheldoniano*, Oxon. 1755.

A. QUÆ movet urbe novas tandem Diſcordia lites?
Quæve, face accenſâ, ſubitò delapſa per auras,
Dictiſque, Alecto ciet irritabile vulgus?

Quin fore ſperabam nunc aurea ſecula mundo
Orta ſtatim, queîs et peragunt longa otia gentes.
Ergo adeò graſſata impune Licentia miſcet
Omnia? Libertas adeò tantam excidit in vim,
Ut ſummos Proceres, fidiſſima corda, laceſſat
Opprobriis! Tibi nec parcat, Sanctiſſime Regum
O Decus! O Lumen Patriæ! Tale improbus auſit
An furor infandum facinus! Tale en furor auſit

Improbu

* Bruxellanus Novarum Rerum Scriptor.

Improbus! Heu pudor! Heu pietas! *B.* Abſiſte moveri;
Futilis evadunt quorſum mendacia linguæ,
Quam peritura brevi, *Mauberto* judice, vincam.
Heu Lupus ecce tibi, perhibet ceu fabula, præſto eſt.
A. Aut oculos, mentemque hallucinor, aut ego cerno
Ære Corinthiaco notum, et ferrugine vultum.
B. Certè Ille eſt: fœdi *Rappæo* pulvere multam
Ingluviem naſi, ſcapulæ faſtidia tortæ,
Inceſſumque hominis, manicataque lintea novi
Interulæ queîs quid ſub nexum credere par eſt.
Corpore quin nitido prorſus nunc iſte videtur,
Longe illi abſimilis quem nuper ſæpe notavi
Bruxellis, humili quâvis exire propinâ
Pannoſum, lacerumque, obolis pranſumq; duobus.
Compellare hominem ſed quid ceſſamus? *B.* At illud
Nil opus eſt, nam per ſe promptior eſt, videt et nos.
M. ad *A.* Flos gentis Britonum, quid agis Dulciſſime Rerum?

Mente

Mente lubens palmas atque ora deoſculor. *M.* ad *B.* et Tu,
Mi Lepide, hic aderas! Dii, quot ſint, me male perdant
Lætitiâ videam ni cor perfuſus utrumque!
A. ad *M.* *Maubertus* tandem nobis? Unde hic novus Hoſpes?
M. Evenit. *B.* ad *M.* At ſanè dubites te credere genti,
Infenſæ juſtis odiis, mendacibus et quum
Sæpe laceſſiſti ſcriptis; hanc inſpice chartam,
Fibra modò ſi non obduruit intima cordis,
Perlege et erubeas;—*Mindeni* nuper in agris
Commiſſa eſt *Gallorum*, inter *Britonumq*; cohortes
Pugna, et Marte diu vario certatur utrinque;
Dum tandem, numero ter quamvis auctior, armis
Borbonidum ceſſit ſocors exercitus, atque
Vix centum hinc cæſis, illinc plus millibus octo,
Haud dubiam palmam *Lodoix*, juſtamq; reportat.
M. Nunc verſus ſtylus eſt. *B.* Quin ſi placet inſuper audi;
Granbæus potiore loco, tumuloq; potitus

Accivit

Accivit turmas: Quid demum? milite tantum
Contæi aſpecto, extemplò fugêre gregatim.
M. Retroſum ſed vela dedi, inquam,—nomine Regis
Mutato atq; Ducis; ſtatim erunt ſic omnia pulchrè.
A. ad *M.* Dii nobis! ſed te quæ ſpes his appulit oris!
M. Poſtquam fracta domi res eſt, ut noſtis, amici,
Exceſſum propriâ tellure *Brabantia* cepit;
Hic victum petii, rerum ſcriptorque novarum
Non tenuem corrudo cibum. *B.* ad *M.* Quem te puto poſſe
Perdite, vel petere a flammis! *M.* Et non ſine multâ
Laude teror manibus, Regi quicunq; ſtudebant
Gallorum: at GEORGI poſtquam victricibus armis
Omnia ceſſerunt, retrorſum lapſa referri
Res noſtra et pariter cœpit; ſpes ſola lucelli
Heu perit! in patriam redeundi nulla poteſtas.
Quid facerem? *Auſtriacæ* fidei me credere tutum
Vix ſatis eſſe ratus, certâ ratione *Boruſſo*
A Rege abſtinui. *B.* ad *M.* Tibi ne præſcinderet aures

Pro mentis. *M.* Eſſe ingenium ignoſcentibus
Anglis
Audito huc feſtinanter me contuli, et adſum
En veſter ſtudiis, et toto corde *Britannus!*
B. ad *M.* Tune *Brito*? *M.* Chartas qui ſcribens
Hebdomadales
Primores populi arripio, populumque viritim,
Libertatis amans, vindexque acerrimus æqui.
A. ad *M.* Tune iſtas! heu quam civem ſcripſiſſe verebar!
Gratulor hoc ſaltem patriæ, non nomen inuri
Dedecore *Angliacum* tanto; pus atque venenum
Nil mirum eſt adeo *Gallum* vomuiſſe loquacem.
B. ad *M.* Qualis at ædituus, qualis, ſi Diis placeo
auctor.
Libertatis eris nobis? Quo mancipiorum
Cappadocum Rex, quotquot habet, non turpius unquam
Extitit, aut duri ad nutus cevere tyranni
Verna miniſteriis magis aptus: at obſecro ſodes
Unde fit, ut noſtram poſſes cognoſcere linguam,
Tamq; brevi? *M.* Cujus ſanè haud intelligo verbum:

Gallicè

Gallicè enim ſcripſi, quæ quidam è gente togatâ,
Neſcio quem, albeolum noſtro ſermone vocamus
Tranſtulit in veſtram calamo currente, diſertus.
A. ad *M.* Fidus nil dubito interpres. *M.* Sed
rectè ad amuſſim,
Si modo rem ſpectes: ſed inenarrabilis iſte
Spiritus omnis abit, flaccet quodcunque leporis
Indulgent mihi Dii faciles, quod molle, facetumq;
Id totum in tenues attactu evanuit auras.
A. ad *M.* Credo equidem, at ſi me utaris moni-
tore, quieſcas;
Aut ſerus tamen obticeas formidine fuſtis.
M. Me fuſte enſiferum? Qui ſolertiſſimus artis
Huc—illuc—acie diſcurrere ſingula acutâ
Didici, vaſer ipſe, acclini corpore tutus,
Ictu nec dubio lethale infligere vulnus.
A. ad *M.* Famoſo at quamvis nollet lex lata libello,
Deſcribi, namque hic lites, jus, judiciumque,
Scenarum genus hic varium, miſerabile viſu,
Verbera cum mulctis, et carcer, habena, cataſta.
A. ad *M.* Qua tibi et ovorum nec plurima copia
deſit.

M. Ova, indicta licet non ſint jejunia mandam
Haud unquam latura mihi faſtidia, nulli
Miſta oleri temnenda gulæ. *B.* ad *M.* Nec
edulia ſanè
Quin—nec te lædat noſtrarum inſcitia legum
Exaudi; locus eſt trivio, qua ſulta columnis
Machina ſtat quernis; ternos terni ordinis orbes
Trabs a fronte patet; proferre atque inde neceſſe
eſt
Os te durum, et utrumq; manum, ſic ſæva popello
Gaudia præbentem, grata et ſpectacula plebi,
Undique collectis quæ ſordibus impetet ora,
Soricibus vitæ functis, et ſtercore, et extis,
Quicquid et obſcœnum eſt, præſertim putribus
ovis,
Dum totus luteus madeas, barbamq; genaſque,
Torvior atque olim viſu. *M.* Quin tutius eſſet
Amoveam ergo me. *A.* ad *M.* Sin pergas eſſe
moleſtus
De trabe transfixa pendebis flebile pondus,
Cum multo et riſu tota captabitur urbe
Mauberti fatum triſte, atque noviſſima verba.
M. Ergo me concedam alias, mora nulla; valete.

B. I fuge quo mereare ſcelus! convivia læti,
Et cæptos tandem nos inſtauremus honores.
Nam, confide, dehinc cedet furor impius orbe;
Lutifica et linquens terras diſcordia, ſedes
Cum gemitu petet infernas, dum pace *Britannis*
GEORGIUS in longum gratis moderabitur ævum,
Fœdere et æterno gentes ſociabit amicas
Europæ, atque æquo libramine fata tenebit.

Utile Dulci.

DISCIPULUS Medicum ſimulatâ febre rogabat
Pharmaca miſceret dulcius utilia.
Huic Medicus dixit, miſcere ſolemus acerbo,
Novimus at morbo conſuluiſſe tuo.
Hos capito ſuccos, ſed ne committito ventri,
Sic erit hoc nobis utile, dulce tibi.

Ad CAROLUM PETREM
M. de Regiis Medicis Artiſque facile Principem ob
Quod J. MERRICK *Medicus etiam*
Præſtantiſſimus illius Ope cum jam extrema
Paſſus eſſet prorſus inſperato convaluit.

EXPLE Lyæo, PETRE, ciboria,
Nos proluamus liberius mero,
Jam poſce plenos, reſtituto
Poſce novem Cyathos Amico.

Heu! funeratum quam prope vidimus,
Heu! funeratum quam prope flevimus,
Candore morum, et rariori
Simplicitate animi celebrem!

Cui priſca virtus, nudaque veritas
Affulſit uni, quem decuit pudor,
Feſtivitas, quem mira finxit
Ingenui artificem leporis.

Callere

Callere Phœbus cui Cytheræ modos
Conceſſit idem et Pæonio ſcyphos
Miſcere ritu, grande vitæ
Subſidium in dubiis caducæ.

Latè per agros jam nova febrium
Exarſerat vis: vidimus ut rogos
Frequentuis ſtructos gravi anno
Lethiferi vitioque cœli.

Ægrè trahentem tabeque languidos
Artus Juventam vidimus, et luem
Impune graſſari per urbes,
Perditum et ire domos minacem.

Sed Pharmacorum *Merricius* potens,
Pleriſque fati proporeri nimis
Tardavit alas, jam futuræ
Articulo eripuitque mortis.

Invita nobis unde redit ſalus,
Redit genarum purpureus nitor,
Jeciſſe quove tenuiores
Indoluit Libitina quæſtus.

Hinc et veneno valduis intumet
Exſuſcitatis acrior anguibus,
Iraque collecta triſulcos
Effera ſic vomit ore virus.

Peribis ergo non miſerabilis,
Peribis inquam, noſtro adeo officis
Qui numine audax, me jubeſque
Conſulere imperio ruenti?

Dixit: minas nec protulit irritas
Sagitta velox certa nimis volans,
Præcordiis lethalis hæſit
Gutture præpediitque voces.

Heu! Quis Deorum ſoſpitet arduis?
Adeſto Pæan, nunc opiferque ames
Dici, tuo rite invocatus
Subvenias, Epidaure, vati!

At (dignus O Tu Petre GEORGII
Cui ſtet ſalus, publica ſtet ſalus,
O mille linguarum diſertus,
Atque ſciens utriuſque Phœbi

Callentis

Callentis artes) vindice tunc manu
Orci jam anhelum faucibus erripis,
Nobis amicum tu redonas,
Præcipuè tibi tu redonas.

Solvent honores quos meritos tibi
Gens grata; quod te ſcilicet auſpice
(Urgentibus fati procellis)
Altera ſpes ſupereſt ſalutis.

Quantum hinc timorem matribus eximis!
Quantum puellas extudis hinc metu,
Languentium hinc poſtquam genarum
Cura minor tua dona tangit!

Nec te tacebit noſtra humilis lyra,
Quod liberi et nos ſollicitudine
Canamus (olim quod canemus)
Pampineâ vacui ſub umbrâ.

Status Naturæ non eſt ſtatus Belli.

COMPAGES rerum firmas, quâ lege tenentur
Omnia, fundamentum orbis, primordia mundi
Reſpice, & ediſcas. *Ratio* diſcordia rerum
Semina compoſuit, divino & fœdere jungens
Cuncta, ſalutarem juſſit ſervare tenorem.

Sydereas rimare domos, quæ vincula cœli
Convexum teneant; videas, ſtupeaſq; videndo
Quam conſtat natura ſibi, quam Dædalus ordo
Conſtringit *certo* nantes *errore* planetas.

Nec minus interea naturæ cura *Parentem*
Inferioris habet: quæ cœlum & ſidera nutu
Temperat æterno *Mens*, ſecula quæque ferarum
Conjurata trahit ſecuræ in fœdera pacis,
Tutelamque ſui generis; non tigrida tigris,
Non leo ſylvarum dominus petit ungue leonem,
Nec pardus pardum, neve urſa invaſerit urſam;
Dilexit fera quæque ſuam cognata figuram.

Sanctius

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,
Mira Dei soboles, investigare Tonantem
Formata, & stabiles mundi cognoscere leges
Sublimi vultu, potuitne hæc prælia miscens
Rumpere junctarum concordia vincula rerum?

Quam procul his aberant placidi Saturnia mundi
Secula, quum viguit virtus, & candida mentis
Simplicitas, prudens ratio, non ira movebat,
Nec scelerum fœcunda cohors, fraudesque dolique
Nondum turbârunt sociæ commercia vitæ.
Auri sacra fames, & mentis devius error
Vim, scelus, & Stygium primò peperere furorem:
Olli indignantes magno cum murmure circum
Corda fremunt; celsam ratio tamen occupat arcem
Sceptra tenens, tumidumq; vetat ferveſcere pontum.

Sic ubi Neptunus rapidis caput extulit undis,
Luctantes venti, tempestatesque sonoræ
Diffugiunt, toto ridet pax læta profundo.

Quid spirans rabiem infernam clypeata virorum
Hobbesiane furor, feris agmina, & impiger ardes
Pellere Cadmæos in mutua vulnera fratres?

Tu

Tu fruſtrà, ah fruſtra rationi obducere nubem
Caligantem optas, fraternâ pace ligatum
Attrahit unanimem *Virtus Magnetica* mundum.

Sic Phœbo in centrum poſito *gravitate* tenentur
Corpora cœlorum, certos gyrantur in orbes,
Conſpiranſque tenet fixum *Syſtema* tenorem.

Septem Actus Vitæ.

MUNDUS Theatrum eſt—hiſtrio partes agit
Quivis homo; ſcenas ingreditur; exit, redit,
Actuſque ſeptem peragit ætas mobilis.
Nutricis ulnis vagiens infantulus
Eructat; inde ſacculum portans puer,
Et mane vultum nitidus, invite ſcholam
Cochleæ modo petit; dehinc amaſius
Fornacis inſtar corde ſuſpirans, nigrum

Amicæ

Amicæ ocellum carmine miſero canit.
Dein ore miles expuens diras novas,
Parduſque ſicut barbiger trux aſpici,
Ad arma pronus, nominis magni tenax,
Per mille rerum triſtium diſcrimina
Appetit honorem—Pacis exin prodiens
Præfectus, apte pendulam barbam gerens,
Severus ore, ventre turgidus, plenus cibi,
Exempla profert, projicit ſententias,
Juris moleſtus arbiter. Femoralibus
Indutus inde prodit ex ſcenis homo;
Cui conſpicillum naribus, lateri macro
Pera hæret; exiguis vacillat cruribus;
Nec amplius hominem ore robuſtum ſonans,
Tenui loquela fiſtulam argutam refert—
Tandem ſenectæ frigidæ extremæ manent
Partes agendæ—fabulam variam male
Claudit ſenecta— rurſus infantes ſenes;
Auribus, ocellis, dentibus capti ſimul;
Ætaſque demum fumus, et prorſus nihil.

In MILTONUM.

MAXIMUS antiquis veniſti mœnibus hoſpes
Jam tandem, nitidoq; graves in marmore vultus
Erigis, O decus, O tanti laus optima tecti!
Non talis priſco *Chaucerus* conditur ingens
In tumulo pater, aut vario modulamine dulcis
Spenſerus, non arte pares, non divitis hauſtu
Caſtaliæ tanto, liquidive aſpergine fontis.

Ipſe novâ virtute ingentes fortior auſus
Aggrederis Vates, validoque agis impete mirum
Certus iter, curſuſque novos, ultra avia longe
Limina Muſarum veteriſque cacumina Pindi.
Quantus per Graias olim mirabilis urbes
Ibat *Mæonides*, divumque ferebat honorem.
Quantus in attonitis volitabat rupibus *Orpheus*
Ille deûm ſanctas ſtirpes et nomina vates
Æternumque canit decus, antiquoſque labores,
Aut hominum genus, aut diæ primordia lucis,
Turbataſque domos ſuperis immiſſaque bella.

Immanes

Immanes auſus! Tum victis Tartara triſte
Effugium, horrenteſque umbras, ſtupet undique turba
Fulgura verborum, et docti miracula cantûs.
Tale tuum carmen nobis: ſeu pulchra recludis
Hortorum ſpatia, iririguiſque ingentia campis
Flumina concelebras, primævi regna parentis.
At dulcis conjux fec'la interlucida florum
Mollibus invigilat curis, ubi dives opacat
Umbra toros, myrtuſque viret, dubiique rubores
Naſcuntur violis, et ſe crocus induit auro.
Poſt autem rupto fatali fœdere, triſtes
Exilii pœnas ſubeuntes rura pererrant
Sola ſimul trepido greſſu, ambiguique viarum.
Limina dilectaſque domus feralia flammis
Tela nitent circum, et ſævæ formidinis ora.

Tam facili polles citharæ moderamine tanto
Flumine verborum variarumque ubere rerum
Ingenio: ergo animas quædam divina voluptas
Percipit, et trepidos ſenſus perlabitur horror
Intimus, aut vero perculſi pectora luctu
Solvimur in lachrymas tecum, et miſereſcimus ultro.

Salve, ſancta mihi ſedes, tuque unice Vates,
Extructumq; decus tumuli, et ſimulachra verendi
Ipſa ſenis, laurique comæ, et tu muneris author
Egregii—tanto ſignatum nomine marmor
Securum decus et ſeros ſibi vindicet annos.

VENUS omnia vincit.

BOS cornu, ſonipes pedibus, rictuque leones,
Vulpes inſidiis, unguibus urſa nocet:
Eſt curſus lepori velox, avibuſque volatus,
Provida mens Homini conſiliumque datur.
Quid pro conſilliis, curſu, pedibuſque Puellæ,
Pro rictu, inſidiis, cornibus, ungue, pede?
Pro cunctis tantum teneris data forma Puellis;
Quin ferro valeat, quin magis ipſa nocet.

Secretiones animales, attractione ſepoſitâ, demonſtrari poſſunt ex Structurâ Glandularum, & Diſtantiâ earum à Corde.

EBULLIENTI Sanguine turgidum
Multoque fibrarum auxilio potens
Cor, exerit vim fortiorem, &
Purpureum vomit ore fontem.

At ille, longas increpitans moras,
Citatiori proſilit impete,
Arctoſque dedignans canales
Conſimili fluit unus æſtu.

Mox flexuoſo tramite proruens
Arteriarum per ſinuamina,
Imos receſſus glandularum
Languidiore lavat fluento.

Secretiones tum fieri; ſuum
Glans quæque ſervat depoſitum, petit
Pars altera in venas refundi,
Et refluo properare curſu.

Tum glandularum pro vario ſitu
Diverſus humor concoquitur, ſuum
Lymphaticorum ni canales
Sufficere auxilium morentur.

Hinc irrigatis ſanguine renibus,
Effuſiori gurgite mittitur
Urina, per diverſa vaſa
Mille modis tenuata miris.

Hinc acriori bile tumet jecur,
Sedes amari nota cupidinis;
Nec, pancreas, te unquam ſilebo,
Melifluis celebranda ſuccis.

Talis recurrens dum Thameſis fugit
Superbientes oceani minas,
Æſtuque majori tumeſcens
Ambiguas premit æquor undas,

Anguſtiorem gurgitis alveum
Neptunus audax ſpernit; & impetu
Prægeſtienti provolutus
Diluvium meditatur agris.

At cum recluſas Angligenûm domos
Sereniori flumine proluat,
Longique pertæſus laboris
Imperio fluat amnis æquo,

Per mille rivos jam placido gradu
Longe petitam ſpargere copiam
Inſtructus, objectis reponit
Luxuriem, ſegetemque ripis.

THO. ODDIE. A. M.
Coll. D. Joh. Cantab. 1739.

Regina Pecunia.

INCLUSAM *Danaen* ſolvit pretioſior imber;
Et fulvo patuit clauſa puella *Jovi.*
Succubuit *Diti*, non *Divo*, fœmina; fruſtrà
Divinus, ſi non *aureus* eſſet Amor.

Antonietti

ANTONIETTI DUCIS CORSORUM EPISTOLA AD CORSOS.

De Rege eligendo.

NOBILE ſi carmen mihi Muſæ, quale Maroni,
Annuerent; aut, quæ ſibi poſcunt, grandia vates
Moliti, ingenii vires centenaque Phœbus
Ora arguta daret; non impia Cæſaris arma,
Aut quæ * Boiorum nudârunt prælia campos,
Gallorumque acies, ingenti aperire ruinæ
Quæ loca cuncta parant; ſed nec victricia ſigna,
Auſtriacoſque duces, vicinaque caſtra Philippi,
Magnaque per pelagum vecturos bella Britannos
Jam canere inciperem; ſed facta et fata meorum.
Voſque pii cives, vos, fortia pectora, Corſi,
Servitiumque pati indociles, fidoſque Penates
Certè equidem laudarem ultrò; pueroſque ſeneſq;
Qui

* *Bavarians*

Qui nunc pro patriâ pugnant, galeiſque cuculſos
Mutantes monachos. At tantis deficit impar
Ingenium; atque ars ſiqua olim mihi carminis eſſet,
Abſtulit hanc ætas. Patriæ tamen utile quod ſit,
Non unquam oblitus, mea geſtio tradere vobis
Experiens præcepta ſenex. Loca multa pererrans
Multorum potui mores inquirere regum,
Et ſtudia et plebis ſortem duroſque labores.
At vos ſi doceam, nunc quâ ratione decenni
Libertas bello per tanta pericula parta,
Sanguinis et tantum, res veſtras adjuvet ultrà,
Figat et huic ſedem, ſeriſque nepotibus adſit;
Credite me ſacrum vatem; mea carmina, Corſi,
Culta parùm quamvis, oracula credite Divûm.

Quid nos *Germanus, quid bellis *Gallicus hoſtis,
Infidos Ligures non dedignatus amicos,
Alternis vexat? Gens neſcia cedere damnis
Stat noſtra; heroum virtute ſtat inſula fulta;

Stat

** Paucis abhinc annis cum Germanorum, tum Gallorum exercitus Corſicam intrarunt, haud ſcio an ſalva ſua gloria.

Stat titulis ornata ſuis, et nomine regni.
Nomine nec careat tanto; nec demat honorem
Hunc populi vox cauta nimis, neq; vana periçla.
Dum dubitatis enim, quoniam *Theodorus in oras
Ignotas abiit, quis debeat eſſe futurus,
Et qualis rector Cyrnæus; ſi mea vota
Dictaque quid valeant, gentis de more vetuſto
Rex erit; at ſanctâ rex majeſtate verendus.
Qui Veneri imbelles noctes donare recuſet,
Ignavoſque dies Baccho: qui extendere fines
Imperii nolit, bellum meditatus iniquum.
Nec plebis miſeræ ſpoliis æraria cujus
(Siqua futura illi fuerint æraria) creſcant.
Qui frugi et felix, antiquâ ſtirpe creatus,
Natalique ſolo gaudens, haud lædere quenquam
Immitis cupiat; nequeat ſed lædere quenquam.
Neve ſuos mendax populos, nec perfidus hoſtes
Rex fallat noſter. Nam reges, fallere doctos,
(Pace, O ſceptrigeri, liceat mihi dicere veſtrâ)
Qui nil turpe putant, vidi; qui, faſque fidemque
Pactumque

---

* Rex aliquando Corſorum.

Pactumque haud unquam dubitantes rumpere fœdus,
Juratos ſprevere Deos. Formoſior alter
Præterèa rex hôc, quem nunc excogito, nuſquam
Inveniendus erit; formoſum effingere regem
Si faber Alcimedon nôrit, lignumque polire.
Egregiè ſed enim novit. Divinior ille
Nec fuit *Alcimedon, multâ paſtoribus olim
Arte opus ornatum, qui pocula ſagina fecit;
Arte opus ornatumque tuâ, divine poeta.
At vos, O cives, dum dædala prodit imago,
Dicite gratantes, Rex nobis ligneus eſto!
Sylvicolæ acclament, Rex nobis ligneus eſto!
Sed tamen ex quovis [ſieri ſi rite jubetis]
Rex ligno non fit. Genus eſt, quod raſile quamvis
Sit facili torno, vultus haud induet aptos
Regiaque ora; aut magnæ unquam foret utile genti.
Montibus in veſtris ſtat plurima quercus et ilex:
Intactæ ſtent uſque licet: de ſemine natus
Ne *Dodonæo rex ſit, queruluſque loquaxque

Et

* Vide Virgil. Ecl. 3. † In Dodonæa Epiri ſylva quercus inter ſe loquebantur; etiam oracula edebant.

Et vivo ſimilis: duo tantùm verba loquatur,
Sic JUBEO: O cives, actum eſt: periiſtis inulti.
Quid, quòd et in ſacrâ poſuerunt ilice ſedes
Sæpè ſuas nymphæ? Sæpe et, cùm cæditur ilex,
Numen *Hamadryadis læſum eſt. At numine læſo,
Ominibuſq; malis quænam eſt tam barbara, regem
Ut ſibi gens optet? Vos porrò a rege cavete
Iligno; ne ſtirpe genus deducat ab iſtâ,
†Trojano Æneæ quæ ramum detulit auri.
Olli ſemper enim vis certè antiqua manebit:
Et quamvis ſit truncus iners, ſe veſtiet auro,
Corſorum ſpoliis, Nonne hoc Germania tota,
Gallorumque urbes, et nudus plorat Iberus?

At mihi [quippe ſenex, videar ne longior æquo]
Dicite, Pierides; vel noſtro denique fabro
Dicite, quid ſociat regem ‡Cyrnæa tenere
Regna diu, et veſtro laudari carmine dignum.
Quin age, docte faber, lætuſque accingere molis
Tantæ operi; ac, primùm Sylvanum et Oreadas
omnes

Ritè

---

* Hamadryades ſunt Nymphæ, quæ præſunt quercubus, quibuſcum ſimul naſcuntur et intereunt. † Vide Æneid. L. 6. V. 208. ‡ Corſica olim appellata eſt *Cyrnus*.

Ritè precatus, adi *montes Cyrnæaque saxa;
Atque aptam nemore in denso tibi selige buxum
Et bello et paci, facilemque in corpora verti.
Vertatur. Regique huic Corsica pareat uni.
Sic animum et vires, sic et sua jura decusque,
Sic, quæ præcipuè est vobis pia cura, salutem
Firmabit populus: sic et sua rura coloni,
Sic Fauni sylvas, sic et sua littora nautæ,
Et sibi grandævi servabunt otia vates.

Causa quoq; est, buxo cur sint hæc debita regna,
Regia progenies. Toto jam notus in orbe,
Buxeus, en, extat regum pulcherrimus ordo;
Non ulli invisus. Nec regia nomina buxi,
Nec poterit livor famam delere futuram;
†Seriadis nymphæ dum ludicra Scacchidis arma,
Sintque in honore artes, et culti carmina *Vidæ*.
En quoque, magnificis quæ nunc tot præsidet aris,
Gemmisque

* Montes Corsicæ sunt saxosi et sylvosi, buxis grandævis consiti.

† Vide Hyeronymi Vidæ carmen, quod inscribitur, SCACCHIA, LUDUS; *The Game of* CHESS.

Gemmiſque Eois inſigni vincta coronâ;
Quæ ſydus terræ, cœli regina vocatur,
Sæpiùs ex buxo fabri fecere *Mariam.
Et facient. Nec tu tibi ſemper, *Corſe*, colendæ
Auſus eris regem quemquam præferre *Mariæ*;
Vix ſuperûm quemquam. Laus tanta et gloria buxo!

At ſimul egreſſus ſylvis, formamq; virilem
Buxeus accepit truncus; regemque probârunt
Dî patrii, atque piæ ſuffragia libera plebis;
Marmoreas ædes, ac tanto principe dignas,
Et ſceptrum et ſolium [poſtquam hæc fabricaverit idem
Alcimedon, et, quâ rex eſt fabricatus, eâdem
Materiâ] læti donabimus. Ipſe ſedebit
Purpuream indutus pallam; ſed tempora cinget
Aut edera aut laurus, doctorum præmia vatum,
Et veterum heroum, frugique aptiſſima regi.

Quem

---

* Simulachra ſunt quamplurima B. M. V. de ligno facta, ſed regales auratasque veſtes induta. Illud vero in urbe Laureto (LORETTO) ita ornatum eſt et oneratum gemmis et margaritis pretioſiſſimis, ut regis Perſarum opes una hæc lignea virgo æquare videatur.

Quem niſi perjuri cives, niſi fulminis ictus,
Aut ſubitæ tulerint flammæ, decor integer illi,
Gloriaque, et ſolidæ ſtabunt per ſecula vires.

Jamque viri pietate graves, queis publica cordi
Commoda ſunt, proceres centum patreſq; legantur.
His populi credenda ſalus; his templa Deorum:
Hos penes arbitrium ſit belli et pacis: iniquos
Hi pellant *Ligurum ſocios: reſponſa ſuperbis
Hi dent legatis; dent nobis jura: miniſtros
Hos, plebi fidos, hos ſolos noverit aula;
Hoſce magiſtratus urbes; hos caſtra tribunos,
Vos, tamen in medium quoties, procereſque patreſque,
Conſulitis; felix vobis rex buxeus adſit:
Præſide quo rerum, quo fiant omnia coram.
†Munera ſic *Veneti*, quibus et prudentia ſumma
Et ſtabile imperium eſt, implent ſua. Ligneus illis
Rector, vel ſimilis ligno: gravitate verendus
Qui tamen auguſtâ regales poſſidet arces:

* *Genoeſe.* † Apud Venetos auctoritas omnis eſt penes Senatum.

Hunc fovet et Tethys, hunc et nova nupta quotannis
Æquoris Adriaci ditat dotalibus undis.
Qui, cùm dedidicit ſermone et viribus uti
Conſiliiſque ſuis, malè nil, nil fecit ineptè.
Nil ſibi libertas metuit: parvique Penates
En, **Vaticani* contemnunt numinis iram.
At, nullius egens ultoris, buxeus ille
Semper, ut officium faciat, ſpectetur inermis.
Atque armata manus procul hinc, procul abſit ab aulâ;
Si Ligur omnis abeſt. Quiſquis peditumq; catervis
Et turmis equitum ſtat cinctus, et ipſe, coruſcans
Telum, bella tonat, cùm non metus ullus ab hoſte:
Is ſperat terrere ſuos, avidamque rapinam
Cogitat. A nobis Dî talem avertite regem!

*Una

---

* Paulus V. Venetos excommunicavit anno 1605 Leonardo Donato Duce, Veneti Vaticanum fulmen irriſerunt, id brutum fulmen appellantes, et ſacra peragi juſſerunt more ſolito. Papa tandem eos abſolvere, et, quod arroganter contra Rempublicam decreverat, cum dedecore et ignominia tollere coactus eſt.

*Una quidem domino *Corſorum*, milite major
Omni, Naiadum lectiſſima nympha miniſtret:
Sedulitas cui ſit, cui ſit pietaſque fideſque;
Mundaque cui noſtri ſit ſemper cura Quirini:
Ut neque regales cultus, neque pulvere mites
Fœdentur vultus; capiti neque ſtamina nectat,
Improba ſub mento vel texat aranea telam.
Ullane erit pellex, regina vel aptior ulla
Huic operi, aut tali Cyrnæâ hâc Naiade regi?
Et me dum memorant, (et in hôc ſi glorior, æquum
eſt;
Uni debetur cui regum ligneus ordo)
Te quoque, nympha, canant Muſæ; ſtudiumque,
tuumque
(Seu Pholoe, ſeu Phyllis, ames ſeu Niſa vocari)
Annales noſtri celebrent per ſecula nomen.

Jamque duci, cives, vatique ignoſcite veſtro;
Si

* Omnia ſunt metuenda a regni præſide ſive regis vicario, quiſquis ille erit, cujus dominatio ut magis eſt ignominioſa, quam ipſius regis, ita quidem ſemper eſt ſuperbior, immanior, crudelior: Verum ſub rege pio ſeu ligneo immaniſſima, et crudeliſſima, teſte Coſcia, imperante Benedicto XIII.

Si vos, dum vario conor ſermone placere,
Uſque eadem moneo. Nam fabula ſeu ſit anilis,
Sive meus ſermo; aut faciles narrare Camœnæ
Quicquid ament, mihi ſeſe ultrò rex ligneus offert:
Libertaſque adſtat ſacri ſub imagine regis.
Et certè ſacer eſt hic, quem venientia ſecla,
Dum facta, et vitam laudant, moreſq; pudicos,
Delapſum cœlo credent. Id ſuadet ipſa
Et res, et mite imperium. Quin novimus, et qui
Informes trunci, nullâque ex parte figuram
Induti humanam, licuit ſi nomina regum
Sumere, vel placidi munus Jovis eſſe putantur:
Eſſe Jovis, docuit comis ſapientia Phædri.
*RANARUM proceres veniunt ad limina cœli
Orantes, Nobis rex ſit dimiſſus ab alto;
Qui loca ranarum nôrit, qui ſtagna lacuſque
Imperio regere, et populi compeſcere mores.
Si rex eſt apibus, gaudetque oſtendere parva
Sceptrigerum Monacœda ſuum; ſibi poſcere regem
Cur pudeat ranas? Generis quoque nobilis auctor
Sol

---

* Vide PHÆDRI fabulam de *Ranis regem poſtulantibus*.

*Sol fuit auricomus: ranæque animalia cantu
Cætera dulciſono vincunt, vireſque modoſque
Nominaque a nobis ſumit† comœdia priſca,
Ranarumque choro Muſarum munere fungi,
Et populo plaudente, datur: ‡ſed et inclyta bello
Gens eſt; quod magni teſtatur carmen Homeri,
Di quoque qui ranis aderant. Ingentia verba
Riſerunt ſuperi, riſitque Dieſpiter ipſe,
Annuit hiſce tamen. Tignum dimittit Olympo,
Tignum immane, decus rani regemque futurum.
Atra palus ſtrepitu, ſimul ac nova pondera ſentit,
Et reſonat percuſſa, ſuas miratur et undas.
Horrendum virides regem ſtagnique tremiſcunt
Emoti faciem populi, curſumque pudendum
Cuncti præcipitant, gens totaque mergitur imo.
At ſtragor ut cecidit, ſua aquis et reddita forma eſt,
Statque immota palus, caput en §Phyſignathus effert,

Ranarum

---

* Ranas e limo Nili formatas, et calore ſolis vitaliter animatas fuiſſe fingunt veteres.

† Comœdia ſcilicet Ariſtophanis, cui nomen BATPAXOI (Ranæ) ubi poeta ranarum choros joculariter inſtaurat, quæ ſuo more cantitant BREKEKEKEX, KOAX, KOAX.

‡ Vide Homeri Batrachomyomachiam.

§ In Batrachomyomachia PHYSIGNATHUS dicitur rex ranarum.

(Ranarum ductor, præclari nominis hæres)
Et regem haud temerè explorat. Deinde evocat omnes,
Edocet et, qualis rex ſit, quâque arbore natus.
Fit fremitus: rident, contemnunt munera Divûm,
Et regi inſiliunt; mox et convicia fundunt,
Et turpant, quà quiſ; poteſt. Jamque advenit alter,
Ranarumque iterum memorat vireſque genuſque,
Ab Jove dum regem. ſed quem non ſpernere fas ſit
Flagitat orator. Mittit pater optimus hydrum
Ingratis. Furit immanis, ſævitque tyrannus.
Antra, domos populat; pubem matreſque patreſq;
Corripit, hos, illos; laniataque viſcera paſtus
Corripit hos alios, proceres, ignobile vulgus,
Legatoſque ipſos, habitant quicunque paludem.
Cunctos quippe ſibi natos, quibus imperat, uni
Dicit, et ad prædam cunctos ſibi deſtinat uni.
Nulla ſalus. Fruſtra properant ſeſe abdere limo
*Stagnicolæ. Fruſtra, rex ut ſibi ligneus adſit,
Nunc optant, orantque Jovem. Nam orantibus ille
Hæc reſponſa dedit; Cœleſti indigna favore,
Humanæ ſimilis, gens vana, et neſcia reges
Ferre bonos, dilcas jam ſævos ferre tyrannos.

G——. K——. L. L. D. 1744.

* Verbum fortaſſe a Baptiſta Mantuano excogitatum.

In PHILOMELAM *Huworthæ auditam.*

SÆPE dilectos Philomela pullos,
Improbâ raptos pueri siniſtrâ
Fleverat; ſævam fugit ergo ſedem,
Atque dolorem.

Mœſta per latos volitavit agros,
Per cavas valles tacitaſque ſylvas,
Dum ſuos fido ſtuduit tenellos
Ponere nido.

Taſis ad ripas fugitiva tandem
Venit, et terram tepido feracem
Sole perſenſit zephyriſque blandis
Mulcier auram.

Audiit multi modulos ab ore
Alitis ſuſos: calamum canentis
Audiit *Mepſi* tenerumque concors
Murmur & amnis.

Amnis

Amnis aſpexit liquidum meantis
Marmor ac inter nemora atque rupes
Et caſas; inter varioque vallem
Flore decoram.

Dixit et mirans—" mihi tuta ſedes
Foret hæc; fundam modulamen omne,
Cedet *Hurworthæ* ſpecie priori
Theſſala Tempe.

NECESSITAS TRIUMPHATA,
SEU
Humanam Voluntatem ad *Unum* neceſſariò non determinari.

O Dea, quæ clavum manibus cuneumque ſuperbis
Geſtas, et ſtrictâ liquidi compagine plumbi
Cuncta premis, duramque ſoles imponere legem,
Uſque adeòne tuo indulges, ſæviſſima rerum,
Imperio

Imperio, aſtringas triſti tibi ut omnia nodo?
Terra tua eſt, et quos ſub verno tempore flores
Exerit, et quicquid tenebroſo condit in alvo.
Amnes quò tu cunque vocas ſalſæque lacunæ
Pergunt, et lati palantia ſidera mundi.
Aer ſub ditione tuâ eſt, nimbique ruentes,
Quæque boant rauco metuenda tonitrua cœlo.
Et, nimis anguſtum ſi fortè hæc omnia regnum,
Infernas moderare umbras, ſedeſque ſilentûm,
Horrificoſque ſuis ructantem è faucibus æſtum
Tartaron. His addas brutum genus omne animantum,
Aeris, oceani, ſolidæve ſit incola terræ,
Mancipium natura tuum eſt; ſeu triſtior illa,
Quam nox ima premit cæcâ in caligine, ſive
Quam matutino fovet almus lumine Phœbus.
Omnibus his dare jura potes, duraſque catenas
Nectere, et ad rigidum nodis mordentibus *Unum*
Stringere. At hâc *Mediâ* non torpent cætera lege.
Liberum enim genus humanum, velut innuba Virgo
Quæ nondum ullius thalamis addicta mariti eſt.

Hanc

Hanc juvenes multi precibus blandâq; loquelâ,
Facundos quos fecit amor, noctiſque cupido,
Sollicitant. Noſtras alios ita manibus imis,
E mediis alios, alios è ſedibus altis
Impregnâſſe procos animas ſentimus, et ipſum
Decendiſſe Jovem caſto in præcordia luſû
Virtutem ut foveat, ſanctumque accendat amorem.
Scilicet hæc fiunt quoniàm mens Libera noſtra eſt
Legibus æterni Fati *Uniuſque* ſeveri.

Quod ſi animæ motus ſolido Dea ferrea clavo
Olim præfixos jam dirigat; illius omnes
Fictitii aſſenſus, Libertas nil niſi inane
Commentum: quod qui eſt auſus fabricare, neceſſe eſt
Æſtuet implicitus nodis quos nexerit ipſe,
Siſyphi et incaſſûm ſudet volvendo cylindrum.

HENRIC. MORE. A. M.
Coll. Chriſt. Cant. Soc.
1647

ALEXANDRI POPII,
SIVE
Universi Generis Humani,
SUPPLICATIO,
LATINE REDDITA.

I

RERUM magne parens, precibus venerabile numen
Agnoscunt gentes, sæcula cuncta tuum;
Barbarus, atque Sophus, Sanctorum turba fidelis;
Seu *Dominus* dici, seu mage *Jova* probas.

II

Principium mundo dederas, æterne; sed auctor
Qualis sit frustra scire laborat opus.
Notitiæ cupidus spatiis concludor iniquis:
Hoc scio, me cæcum, te, Deus, esse bonum.

III.

Cæca licet mens ſit, turpi dignoſcit honeſtum,
Quæ facienda docet, quæ fugienda monet.
Sit natura licet fatorum fœdere vincta,
Sed *conſcire* datur, ſed mihi *velle* datur:

IV.

Ducatur recta rationis lege voluntas;
Quod damnat, fugiam: quod probat illa ſequar.
Omne nefas gravius metuam cruciatibus orci:
Prætulerim cœlo complacuiſſe tibi.

V

Lætus, quæ dederis, dantis non immemor utar,
Quod grato recipit corde rependit homo.

VI

Maxima dona quidem tibi nos debere fatemur;
Nec tamen, alme parens, unica cura ſumus.
Mille tibi parent orbes; cui inſiſtimus ipſi,
Imperii pars eſt quantula terra tui!

VII

Spargere ne fulmen vindex temerarius auſim;
Non ea mortali tela regenda manu.
Neu Phlegetonteos adigam furibundus ad amnes,
Quos hoſtes ſancti nominis eſſe rear.

VIII

Gratia confirmet pergentem tramite recto;
Errantem retrahat me, meliora docens.

IX

Protege, ne vanum me ſtulta ſuperbia tollat,
Protege, ne petulans ore procace querar.
O! quodcunque mihi ſapienſque bonuſque negaris,
Murmure ne bonitas ſit tua læſa meo.

X

Effutire libens parcam male quod facit alter:
Quod patitur, tangat pectora noſtra malum.
Indigus et peccans aliis quam præſto, viciſſim,
Hanc veniam, ſupplex te rogo, redde mihi.

XI

Haud abjectus ego, licet ima ſede locatus;
Nempe tuus vitam ſpiritus intus alit.
Ergo animi fidens, duce te teque auſpice, pergam,
Seu jubeas hodie vivere, ſive mori.

XII

Perque diem mihi pax et panis idoneus eſto:
Scis etenim, reliquæ quas habet orbis opes,
An meliùs dantur nobis, meliùſve negantur,
Magne Deus, fiat mens, placitumque tuum.

XIII

Te, Deus, immenſam Spatium qui extendis in Ædem,
Atque altare adſtat cui mare, terra, polus!
CUNCTA uno gratas attollant carmine laudes!
Et NATURA ſuum tangat odore Deum!

Date Obolum BELISARIO.

FORTUNÆ indignos luſus, ſævoſq; triumphos,
Mirandoſque Ducis caſus, quem Marte ſecundo
Perfunctum, et fuſo toties ex hoſte reverſum,
Expulit invidia, atque ingratæ injuria gentis,
Cur nullæ exiguo decorârunt munere verſûs
Pierides? unde hæc inimica ſilentia vatûm?
Anne quòd ingentes fugit averſata dolores
Non tam ignara mali Clio, quam luctibus impar?

Zeuxi potens, ſuccurris, & arte fidelis honeſtâ
Triſte miniſterium præſtas.—Viden' acer in ipſâ
Pauperie ſpirat vultus, magnique doloris
Majeſtas! viden' incompto quæ plurima mento
Canities ſqualet malè culta, & textile tegmen
Membra ſequens curis exeſos exprimit artus!
Serta procul capiti delapſa, & inutilis haſta,
Abjectumque jacet fidâ cum caſſide ſcutum;
Relliquiæ Herois, priſcæque inſignia laudis!

Sic oculos integræ ædes, ſtanteſque columnæ
Segniùs irritant, cum dulci horrore tuentes
Diſjectam templi molem, grandeſq; ruinas.

Romanum agnoſco! ah! quantum mutatus ab illo
Qui quondam templis Perſarum ſigna refixit,
Reſtituitque Jovi Patrio; qui Cabadis ultus
Perjuras vires, & non ad fœdera natas;
Quo duce conjuncti fratres, turmæq; rebelles
Ceſſere Hypatii; quo, gens inculta Gothorum
Adjecta Imperio, & Romanis viribus impar
Vandalia; inviſum vulgus Muſæ! alta vorago
Doctrinæ veteris, quæ pleno abſorbuit æſtu
Artis quicquid habent ebur & ſpirantia ſigna,
Aut fuci egregii tractus, Muſæque labores.
Quo, cecidere Hunni, Scythico jam milite portas
Fracturi, et mediâ poſituri ſigna Suburrâ.

O nimiùm felix! ſi pugnas inter & arma
Contigerat cecidiſſe, atq; hoſtis ab enſe benigno
Exhalâſſe animam: ſi nunquam pacis iniqua
Tempora vidiſſet, vel ſiccæ tædia mortis.
Jam qualis rediit! vix tanti nominis umbra,

Exul

Exul, cæcus, inops, & multo vulnere tardus,
Crudelis Patriæ decus, opprobriumq; pericla
Cui mendicatum vix præbent garrula panem.

Heu miſerande Senex! quò tot ceſſere triumphi
Barbaricam rabiem, & Gothicos fregiſſe furores,
Si tandem de Te victrix impunè triumphet
Invidia, & fævo tabes ingrata veneno
Inficiat palmas, virideſq; in vertice lauros?
Sic te, Miltiades, quanquam Marathonis in arvis
Servâſti obſeſſas fortiſſimus ultor Athenas,
Inſcriptæ tandem expulerant ſuffragia teſtæ.
Te procul à patriâ crudeli morte peredit
Dedecus exilii, diruſque in carcere fœtor.
—I nunc, & famæ ſpecie lætere, futuros
Quem rapit ad caſus miſeræ vis inſita laudis,
Ut tandem varios terræ pontique labores
Emenſus pictura loquens, aut fabula fias.
Aſt erit illa dies cum plenas improba pœnas,
Roma, dabis, cum mox Scythico collecta ſub axe
Tempeſtas ruet armorum, horreſcetque tumultus;
Barbara cum latè Auſonios populabitur agros
Turma, nec in Roma linquet veſtigia Romæ.

Quem

Quem nunc ultorem ſupplex in rebus egenis
Orabis? quis te triſtes ſubitura ruinas,
Proteget hoſpitio, ſævoque arcebit ab hoſte?

Salve, magna Parens Patriæ, atq; ſimillime Divis!
Te ſaltem accumulem numeris, & fungar inani
Munere, *Vanditii* fucos animoſque ſecutus,
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem
Virtutis læſæ.—Illius miranda colorum
Gratia Romanam penſavit fœnore largo
Invidiam, æternumq; dedit per ſæcula nomen.

Felicium Miſerere.

CLAUSUS in anguſti compage Phreneticus antri
Ridet, et exultat, perfruiturque malis;
Et ſibi rex regum ditiſſimus eſſe videtur:
Quis magis hoc felix? Quis magis hoc miſer eſt?

MONOCARDIA.

QUÆ vis nunc agitat meas medullas?
Et cor molliculo ferire motu
Ceptat? percutiunt novi furores
Mentem, concipio novos amores.
Ah! nunc me fluidos abire in ignes
Totum ſentio. Flamma mollis artus
Dulcis, vivida, permeavit omnes,
Jucundumque ciet calore ſenſum
Toto corpore ſpirituque toto.
Bellam hic laude ſuam efferat *Neæram*,
Formoſam ille ſuam canat *Corinnam*.
Me leni *Monocardia* urit igni,
Et ſacrum inſtituit ſuum Poetam.
Pulchra O Simplicitas! beata Virgo!
Tu vincis radios nitore *Phœbes*,
Tu ſtellas ſuperas decore cunctas.
Nam quis pectora? quis ſinus apertos?
Candoriſve tui poteſt tueri
Theſauros niveos eburneoſve?

Quin

Quin Luna imbriferâ tepentis Auſtri
Nube obſcurior, atque ſydus omne
Sit nigrum magis ac imago noctis,
Et Hyles tenebris, nives eburque.
Quod ſi orbes hilares amabileſque,
Lucenteſque tuor faces, amorum
Blandas illecebras, ruit ſtatim Sol,
Et læti ſpecies perit diei
Submerſa in tenebris meridianis.
O Princeps Charitum! Dea O Dearum!
Cœli ſplendor! et unica O voluptas
Humani generis! catena nodis
Auratis, homines ligans Deoſque!
Te circumvolitant leves Olympi
Alati juvenes, tuoſque greſſus
Suſtentant manibus ſuis tenellos,
Et firmant tua crura mollicella,
Dulcis cura Deûm Venuſque cœli!
I fons lætitiæ piique luſus!
O ter pulchra Puella! blanda Virgo!

Noſtris molliter inſidens medullis,
Cœleſtemque animo fovens amorem
In cœtu ſuperûm locas Deorum.

HENRIC. MORE. A. M.
Coll. Chriſt. Cantab. Soc.
1647.

HYPOCONDRIACUS.

PANNICUS, inconſtans animi, velut aura, ſequaci
Quotidiè æthereas exprimit ore vices.
Ventus ab Eois exaſperet aera cœlis?
Acrior infeſto terror in ore ſedet.
Craſtina forte dies aurato ſplendeat ortu,
Flexilis huic facies, ſole nitente, nitet.
Attigit hoc tandem miranda potentia cœli,
Quod medicina negat, dat ſine nube dies.

M——.

M——. G——. *ad* Joh. T——.

1733.

DUM quid ago, vitæque omnes edicere mores
Aggredior verſu, ſt con averſa canenti
Mens tua, neve ſinas faciles occludier aures:
Attamen haud aliâ dicam mercede, viciſſim
Ni mihi reſcribas, quo ſtat *Baviana* loco res.

Urit amor, tacitum et vivit ſub pectore vulnus:
Vidi, egomet peragrans, ut mos eſt, compita, vidi
(O quam te memorem, O albenti digna capillo
Alma dies) vidi, forſan cum matre puellam
Eximio ſpecie pollentem, et mille placendi
Artibus inſtructam, vocem nec ſuada negavit
Ipſa ſuam, dulci contingens verba lepore:
Ut vidi, ut perii—ipſa Paphum Cytherea reliquit
In me tota ruens, facilique implevit amore
Nunc quid *Papâ* agitur, quid nunc molitur *Iberus*

Teuto

* *Coxbridge in Com. Glamorgan.*

Teuto quid, aut *Gallus*, conjungi fœdere malint
Perpetuo, pacemq; orant, an prælia miſcent
Et Bellona furit, quibus eſt ea cura, remitto.

Diffugiens ſocios, erro per amœna locorum
Quæ prope contentus ripâ, et ſinuamine leni
Serpens urget iter laſcivum *Thameſis* alter:
It tamen hæc ubicunq; feror, neq; deſerit unquam;
Jam coram et præſens aſtare ipſiſſima viſa eſt;
Abſentem video in ſomnis, et perfruor abſens
Dulcibus alloquiis, collo dare brachia circum
Innitor, volucriſque manus eludit imago.

O ſi ſponte meâ liceat traducere vitam,
Si patiatur hymen, cui vinc'la jugalia curæ
Jungere connubio ſtabili, propriamq; vocare,
Non equidem invideam magnis ſua regna tyrannis,
Rure ſed obſcuro, contemptâ, uxorius, urbe,
Quod ſupereſt ævi degam--ſed quid loquor amens
Quid ſibi non fingit? quid non ſperabit amator?
Quid faciam? quid me cogis, Cytherea furentem
Tuq; puerq; tuus?—cur ludor imagine vanâ?
Quid male de vobis merui? quid perdere, quæſo,

Pergitis? hoc unum miſero date munus amanti,
Extremam hanc oro veniam, miſereſcite; et illi
Vox facilem inſpirate ignem, vos cingite flammâ,
Ardeat ut, pariterque mei teneatur amore;
Nec quis erat, veſtras qui ſanctius ibit ad aras,
Nec quis erit, meritis grates qui talibus æquas
Perſolvet citius, votum nec amantior alter.

Joh. T——. *ad* M——. G——.

O Tu, cui levibus cor eſt violabile telis
Viciniq; nimis Phœbi oſſibus ingruit ardor,
Accipe, quid cœli te mitior aura, quid ætas
Conſiliis pollens doceat, neu reſpue amicos
Admonitus, dilecte puer, nempe haud mihi cordi
Triſte ſupercilium, et frons rugoſa ſenectæ.
Quanquam etenim nervis mihi ferme deficit humor
Vividus, et torpent effætæ in corpore vires,
Lætus adhuc recolo veteris veſtigia flammæ.

Non

Non igitur jubeo penitus extinguier ignem
Sed reprimi, palmâ moderatrix lora tenaci
Corripiat ratio; lethali corruit ictu
Qui cœli Icariis petit ardua ſcandere pennis,
Aut Phaetonteo perlabitur æthera curru.

Ergo cave, illecebris ne te nitidiſſima forma
Illaqueet; quamvis dat Amor ſua ſpicula ocellis,
Membriſque egregium Venus omnibus afflet honorem;
Pulchra ſit, at forſan manet alta mente repoſtum
Fœda ſatellities, dolus, ira, ſuperbia, livor:
Nil niſi nectareum ſapit heu! deceptus amator
Donec—Virgo pudica procax fit et effera conjux.

Haud aliter cum lene crepans vocat Auſter in altum
Cærulaque arrident, ſolvit retinacula nauta,
Et ruit in pontum; medio jam gurgite ſurgit
Horrida tempeſtas, furit implacabilis æther,
Unda fremit, reboant venti, lethi ingruit horror:
Heu quid agat! quid nunc juvat exoptare paternas
Incaſſum ſedes atque irremeabile littus.

Rerum igitur ſolers, iterumq; iterumq; cavere

Et moneo, jubeoque, opus eſt indagine, quære
Ex aliis, tute ipſe explora, et totus in hoc ſis:
" An ſit amans et amata ſuis, ſtudioſa parentum,
" Cana et fida ſoror, famulis manſueta, placenſq;
" Cæca parum maculis alienis, gnara ſuarum,
" Incuſare aliquem nolens, læta ipſa reprêndi;
" Non tarda ingenio, vel docta, vel apta doceri
" Sit modo" Nam recolo indignans quid futile garrit
Quæq; hodierna Venus cui nulla ſcientia curæ
Ni cytharæ, eunuchi, larvæ, ſpectâcla choreæ;
Quo melius nitido rutulârint ordine gemmæ
Quove arte ad talos juſtâ defluxerit imos,
Lege laboratæ concinna ſuperbia veſtis.

Præmonitus fugito Hanc, ſed ſi tibi grata Puella
Quam priùs exhibui, cui mens divinior ipſam
Vel formam ſuperat (qualis mihi Filia viſa eſt
Milleſii) dulcis tum gliſcat flamma medullis,
I, pete connubium, ſint vinc'la jugalia curæ,
Tum precor, alma Venus facilem tibi præbeat aurem,
Tædam accendat Hymen, ſit inexpugnabile amoris
Fœdus, et ingenuâ faciat te prole parentem.

Lygdami, propter Compotationes crebras obærati, Dialogus cum Amphorâ.

Donec gratus eram tibi &c.
HOR. Lib. 3. Ode 9.

L. DUM Te, nectare maſſico
Spumantem, indomitis hauſtibus impiger
Siccabam, teres Amphora,
Fulſiſti occiduo ſydere clarior.

A. Dum Te nectaris optimi
Explebam pateris, ſollicitæ graves
Curas mentis inebrians,
Vixiſti Aſſyrio Rege beatior.

L. Heu! quod Te colui, miſer!
Lictorum petulans turba rapacium
Noſtras excutiet domus;
Iſto me cumulas, perfida, munere?

A. Dulces quod reſeco jocos,
Et dura ingenii tædia mulceo,
Dicis, *Lygdame*, perfidam?
Iſtâ me cumulas, perfide, gratiâ?

L. Vitam Te ſine ſplendidam
Auratis agerem ſub laquearibus;
Aggeſtiſque opibus ſuper
Dormirem, Phrygio ditior Attalo.

A. Vitam me ſine ſordidam
Duxiſſes, medias inter opes inops;
Æternùmque famelico
Vixiſſes Pelopis patre voracior.

L. Te damnoſa licentia,
Te ſomnus piger, et mollis inertia,
Et rixæ immodicæ mero,
Nec lento ſequitur pauperies gradu.

A. Me feſtiva loquacitas,
Argutiſque hilares cum ſalibus joci;
Me non aſpera veritas,
Nec lento ſequitur cana fides gradu.

L. I nunc, et tua crudelis
Fallax miſce animis toxica; pœnitet
Damno quod biberim meo:
Siccus vivere amo, ſiccus et emori.

A. Quid ſi priſcus amor redit,
Neglectamque trahit rurſus ad amphoram?
Fallor, *Lygdame*, tu niſi
Potus vivere ames, potus et emori.

Satisfactio Chriſti vera eſt & neceſſaria.

DICITE vos tenebras quîs nondum diſpulit atras
Lumen Evangelii, qui cæcâ mortis in umbrâ
Eligitis ſedes ultro, neque munera vitæ
Oblatæ arripitis, quonam peccata remitti
Speratis pretio; ſi non hæc munera Chriſtus
Nec vitâ innocuâ, nec acerbâ morte, meretur.
Dicite, dilectum cœlis demittere natum
Quæ cauſæ impulerint patrem; cur prodigus eſſet
Sanguinis illius; ſi non ut ſanguine noſtras
Ablueret culpas, omni culpâ ipſe ſolutus.

Non

Non Ille, ignarus fati, populive furore
Haud evitando, periit, Deus orbis habenas
Flectere quem penes eſt, Genitor qui fulmina torquet,
Cui mille aerii famuli, flammæque miniſtrant,
Cui rerum leges, cui nutum fata ſequuntur,
Natum præpetibus ſublatum fulminis alis
Eripuiſſe neci potuit, cœloque locâſſe
Enochi ſimilem, flammis ſuper æthera vecti,
Qui nigræ nunquam tetigit confinia mortis.
Aſt Illum prudens fato ſubmiſit acerbo,
Abſolvi ut poſſent vatum prædicta priorum,
Ut ſic aſtrorum ſedes aſcenderet altas,
Captoremque ipſum captivum duceret: orci
Frangeret ut vires, & mortem morte domaret.

Non Ille, ut juſtum ſeſe, verumque probaret,
Aut proprias auctor firmaret ſanguine leges,
In cruce transfixus vitam cum ſanguine fudit:
Ob nos ingratos, nec quicquam tale merentes,
Juſtus ob injuſtos, cecidit: ceu victima quondam
Fudit ob alterius crimen, ſine crimine, vitam.
Nec fudit fruſtrà. Sic nos agnoſcimus ejus
Per mortem vitæ hæredes, per vulnera ſani.

Nec

Nec minus hinc, Socine, bonus Deus esse videtur,
Tanquam qui non hæc ultrò peccata remittat;
At tali pretio placatus, sanguine tali,
Concedat veniam. Neque enim Deus optimus ille
Justior, aut aliàs potuit clementior esse.
Justitia exegit pœnas, clementia pœnas
Leniit, & carum morti permittere natum
Impulit; ut videant incensi numinis iras
Et metuant, homines. Voluit sic Optimus ille
Peccantem servare, sed ut peccare timeret.
Nec tamen injustus Deus est, quod Filius, Ipse
Insons, ob sontes pœnas persolvit acerbas,
Iratumque suo placavit sanguine patrem:
Scilicet ille cruci, morti se obtulit ille,
Et plagis ultrò. Dum nos ad sidera ducat,
Dum nobis clausi reseretur janua cœli,
Descendisse suo non indignatus Olympo
Induit humanam speciem, terrasque peragrat,
Omnia mortali similis, corpusque animique
Affectus, scelere excepto.

Sic hominum fœdas absterſit sanguine labes,
Labe solutus HOMO; solvitque piacula Christus
Non alio solvenda modo. Nos, funere, vitæ
Restituens, cœliq.e vias, & sidera, monstrans.

EPILOGUS *ad* EUNUCHUM.

PYTHIAS *loquitur.*

UT *clandeſtini poſthac ceſſent Hymenæi!* ——
Quidnam hoc eſt monſtri? —— Jam mea res
agitur.
Forſan et hæc olim, cum ſint connubia cordi,
Ad vos pertineant; ſi placet ergo, legam.
Inprimis decretum, ut pacta jugalia ſacris
Sint mediis, tria per Sabbata, dicta palam.
Porro opus, in totum menſem ut ſiet incola pagi,
Detque Sacerdoti nomen uterque ſuum.
Qui genus? unde domo? quo patre, et matre creati?
Nec ne illi tædis hiſce favere velint:
Sin nubat, quæ non viginti impleverit annos,
Uxor erit meretrix, progenieſque nothi.
Hæccine maturis libertas æqua puellis?
Hæc vincla *Hiſpano* ſunt graviora jugo.
Cum ſint hæ leges, quæ virgo eſt, virgo manebit,
Quod procul à nobis ſit procul uſque malum.

Quorſummum

Quorſumnam hæc ſenibus data tanta licentia, tanquam
Virgo nihil juris debet habere ſui?
Quid vero? Juvenis placeat ſi quando puellæ,
Queis ſit certa fides, quos trahit unus amor;
Anne æquum eſt, odioſa ſenum ſapientia tardo
Conſilio ut poſſit nectere mille moras?
Nos inter rerum caſus, quid reſtat agendum?
Inſtat ſæva dies, et brevis hora datur.
Aut nunc, *aut nunquam* (ſic noſter Parmeno ſuadet)
Dum nec adhuc facilis limina clauſit Hymen.
Caneo ſin fuerit, nebulo; at me diligit unam,
Mutare in melius ſit mea cura virum.
Certum eſt; *Fletanæ* junget nos incola ripæ,
Sit licet os durum, ſit male ſarta toga.
Atque ibi, ſi ſedem non contemnatis, amici,
Convoco vos omnes ad mea connubia.

Schol. Weſtmonaſt.

1753.

An Actiones ſine Verbis poſſint intelligi? Aff.

TARQUINIUMad patrem quum *Sexti* nuncius iret,
Quid faceret natus rogitans cui ſumma poteſtas,
Et qui jam *Gabios* victor ditione tenebat:
Tarquinius metuens ſua ſi reſponſa remittat
Literulis ſignata, aut ſervo tradat in aurem,
Inſidus, cautuſve parum, pretiove coactus,
Ad *Gabios* rediens titubet, mandataque frangat,
"Vade age, ſerve, inquit, nato noſtriſque ſalutem
"Imperti; verbis nihil eſt quod te morer ultra.
Nuncius ut redit ad *Sextum*, et data copia fandi,
"Quid pater? utque valet? mihi quæ mandata reportas?
"Quid jubet aut ſuadet? Quo mî ſtatuenda modo res?"
Hæc *Sextus:* contra ſervus" Nil tale rogandum,
"Nil jubet aut ſuadet, mandataq; nulla reporto.,
"Quid! reſponſa negat nato? Quo crimine læſus?
"Dic

" Exuit affectus patrios? Adeone ſuperbus?
" Dic ubi vidiſti, coram quis, quidve ageretur."
' Cum primum adveni *Romam* ſedeſq; parentis,
' Deferor ad regem, latis ubi ſolus in hortis
' Auras captabat ſolis defenſus ab æſtu.
' Aggredior ſupplex, qui ſim doceo, unde profectus,
' Quâ cauſâ mittor, quid velles ordine cuncta.
' Ille nihil, nec me quærentem vera moratur,
" Sed ſubitò ſurgens, raptoque papavera ſumma
" Percutiens baculo, capitis decuſſit honorem;
" Nec reſponſa dedit multumq; diuq; rogatus,
Tum *Sextus* ſecum, "Video agnoſcoq; parentem.
' Quid moror ulterius? Cauti ſententia patris
" Cortice tecta latet, non ipſi credita ſervo.
" Hoc ſapere eſt, ſervis uti ut non fallere poſſint.
"*Tarquinius* baculo, gladio pulcherrima quæque
" *Sextus* ſuccidet, ſiquis ſe tollere contra
" Audeat, aut mecum *Gabiis* contendere bello.
—Actio *Tarquinii* verbis non indiget ullis.

In Obitum

GEORGII Ducis ALBEMARLÆ.

GAUDETE quotquot ingemiſcitis rebus
CAROLI ſecundis, democratiæ fœces,
Tenebrionum perduellium cœtus,
Et hypocritarum ſancta turba latronum:
Quotquot togamque purpuramque calcatis
Gaudete, fas eſt vetera ſcelera moliri.
Stator cadentis patriæ, et ſacer gentis
Vindex *Britannæ*, CAROLIQUE ſervator,
Telluris ingens fulmen, et tremor ponti,
Rupeſque *Belgis* certa; cujus ad nomen
Hibernus acer horret, et memor *Scotus*:
Qui turpe monſtrum mortibuſque fœcundam
Hydram ſenatus incruentus *Alcides*
Terrore domuit, purpuramque pollutam
A plebe rapuit; quique Principi ſceptrum,
Laſſæ quietem patriæ, otium ferro,

Foroque

Foroque leges reddidit, decus ſacris;
Tutela regum civiumque MONKÆUS:
Malis tremendus omnibus, bonis charus,
Generoſi honeſti cultor, et tenax juſti,
Victoriarum plenus, et ſatur famæ,
Poſt tot triumphos, gloriæ impari mundo,
Terris relictis abdidit polo civem.
At vos *Britanni* quotquot uſpiam veri
Pacem fidemque colitis, et quibus juſtum,
Relligio, pietas, jura, CAROLUS, cordi,
Togatus una cœtus et paludatus,
Et turba procerum civiumque confuſa
Miſcete planctus, horridoque lamento
Miſerabilique cuncta perſonent luctu.
Iſto *Britanna* conditur ſalus buſto;
Dixit parentem patria, CAROLUS patrem.

R. ALLESTREE, S. T. P.

1638.

ELEGIA SCRIPTA IN COEMETRIO RUSTICO

Latinè Reddita.

Ad POETAM.

NOS *quoque per tumulos, et amica ſilentia dulcis*
Raptat amor; tecum liceat, Divine Poeta,
Ire ſimul, tacitâque lyram pulſare ſub umbrâ.

Non tua ſecuros faſtidit Muſa Penates,
Non humiles habitare caſas, et ſordida rura;
Quamvis radere iter liquidum ſuper ardua cœli
Cærula, Pindaricâ non expalleſceret alâ.
Quod ſi te Latiæ numeros audire Camœnæ
Non piget, et noſtro vacat indulgere labori;
Fortè erit, ut vitreas recubans Anienis ad undas,
Te doceat reſonare nemus, Te flumina, Paſtor,
Et tua cæruleâ diſcet Tiberinus in urnâ
Carmina, cum tumulos præterlabetur agreſtes.
Et cum pallentes inter numeraberis umbras,

Cum

Cum neque te vocale metos, neque murmura fontis
Caſtalii, citharæve ſonus, quam ſtrinxit Apollo,
Ex humili ulterius poterint revocare cubili;
Quamvis nulla tuam decorent inſignia Buſtum,
At pia Muſa ſuper, noſtræ nihil indiga laudis,
Perpetuas agit excubias, lachrymâque perenni
Nutriet ambroſios in odoro ceſpite flores.

ELEGIA, &c.

AUDIN' ut occiduæ ſignum campana diei
Veſpertina ſonet! flectunt ſe tarda per agros
Mugituſque armenta cient, veſtigia arator
Feſſa domum trahit, et ſolus ſub nocte relinquor.

Nunc rerum ſpecies evanidâ cedit, et omnis
Aura ſilet, niſi quà pigro Scarabæus in orbes
Murmure ſe volvat, niſi tintinnabula longè
Dent ſonitum, faciles pecori ſuadentia ſomnos;

Aut niſi ſola ſedens hederoſo in culmine turris
Ad Lunam effundat lugubres Noctua cantus,
Viſa queri, propter ſecretos fortè receſſus
Si quis eat, turbetque antiqua et inhoſpita regna.

Hic ſubterque rudes ulmos, taxiq; ſub umbrâ
Quà ſuper ingeſtus crebro tumet aggere ceſpes,
Æternùm poſuere anguſto in carcere duri
Villarum Patres, et longa oblivia ducunt.

Non vox Auroræ croceos ſpirantis odores,
Non quæ ſtramineo de tegmine ſtridit hirundo,
Non galli tuba clara, neque hos reſonabile cornu,
Ex humili ulteriùs poterunt revocare cubili:

Non illis ſplendente foco renovabitur ignis,
Sedula nec curas urgebit veſpere conjux;
Non patris ad reditum tenero balbutiet ore
Certatimve amplexa genu petet oſcula proles.

Illis ſæpe ſeges maturâ ceſſit ariſtâ,
Illi ſæpe graves fregerunt vomere glebas;
Ah! quoties læti ſub plauſtra egere juvencos!
Ah! quoties duro nemora ingemuere ſub ictu!

Nec

Nec vitam utilibus quæ incumbit provida curis,
Nec ſortem ignotam, ſecuraque gaudia ruris
Rideat Ambitio, tumidove Superbia faſtu
Annales inopum quoſcunque audire recuſet.

Sceptri grande decus, generoſæ ſtirpis honores,
Quicquid opes, aut forma dedit, commune ſepulchrum
Opprimit, et leti non evitabilis hora.
Ducit laudis iter tantùm ad confinia mortis.

Parcite ſic tellure ſitis (ita fata volebant)
Si nulla in memori ſurgant inſignia buſto,
Quà longos per Templi aditus, laqueataq; tecta
Divinas iterare ſolent gravia Organa laudes.

Inſcriptæne valent urnæ, ſpirantiaque æra,
Ad ſedes fugientem animam revocare relictas?
Dicite, ſollicitet cineres ſi fama repoſtos?
Gloria ſi gelidas fatorum mulceat aures?

Quis ſcit, an hìc animus neglectâ in ſede quieſcat
Qui prius incaluit cœleſtis ſemine flammæ?

Quis

Quis ſcit, an hic ſceptri manus haud indigna recumbat,
Quæve lyræ poterat magicum inſpirâſſe furorem?

Annales ſed nulla ſuos his Muſa recluſit,
Dives opum variarum, et longo fertilis ævo:
Pauperies anguſta ſacros compeſcuit ignes,
Et vivos animi glaciavit frigore curſus.

Sæpe coruſcantes puro fulgore ſub antris
Abdidit Oceanus; cæcoque in gurgite gemmas;
Neglectus ſæpe, in ſolis qui naſcitur agris,
Flos rubet, inque auras fruſtra diſperdit odorem.

Hic aliquis fortè *Hamdenus*, qui pectore firmo
Obſtitit imperio parvi in ſua rura Tyranni,
Miltonus tumulo rudis atque inglorius illo
Dormiat, aut patrii *Cromvellus* ſanguinis inſons.

Eloquio attenti moderarier ora Senatûs,
Exitium ſævique minas ridere doloris,
Per patriam largos Fortunæ divitis imbres
Spargere, et in læto populi ſe agnoſcere vultu,

Hos ſua ſors vetuit; tenuique in limite clauſit
Virtutes, ſceleriſque ſimul compeſcuit ortum;

Ad

Ad ſolium curſus per cædem urgere cruentos,
Atque tuas vetuit, Clementia, claudere portas,

Conatus premere occultos, quos conſcia veri
Mens fovet, ingenuiq; extinguere ſigna pudoris,
Luxuriæque focos cumulare, ædemq; ſuperbam
Thure, quod in ſacris Muſarum adoleverat aris.

Inſanæ procul amotis certamine turbæ
Sobria non illis didicerunt vota vagari;
Securum vitæ per iter, vallemque reductam,
Servabant placidum, curſu fallente, tenorem.

Hi tamen incautus tumulis ne fortè viator
Inſultet, videas circum monimenta caduca,
Quà numeris incompoſitis, rudibuſque figuris
Oſſa tegit lapis, et ſuſpiria poſcit euntem.

Pro mœſtis Elegis, culto pro carmine, ſcribit
Quicquid Muſa poteſt incondita, Nomen et Annos:
Multaque queis animum moriens ſolétur agreſtis,
Dogmata diſpergit ſacrai Scripturai.

Sollicitæ quis enim, quis amatæ dulcia vitæ
Tædia, ſuſtinuit mutare ſilentibus umbris;

Deſeruitve

Deſeruitve almæ confinia læta diei,
Nec deſidetio cunctantia lumina flexit?

Projicit in gremium ſeſe moriturus amicum,
Deficienſq; oculus lachrymas, pia munera, poſcit;
Quinetiam fida ex ipſo Natura ſepulchro
Exclamat, ſolitoque relucent igne favillæ.

At te, cui curæ tumulo ſine honore jacentes,
Incomptoque memor qui pingis agreſtia verſu;
Si quis erit, tua qui cognato pectore quondam
Fata roget, ſolà ſecum meditatus in umbrâ,

Fortè aliquis memoret, canus jam tempora paſtor,
" Illum ſæpe novâ ſub Lucis vidimus ortu
" Verrentem propero matutinos pede rores,
" Naſcenti ſuper arvâ jugoſa occurrere Soli.

" Illic antiquas ubi torquet devia fagus
" Radices per humum, patulo ſub tegmine, laſſus
" Solibus æſtivis, ſe effundere ſæpe ſolebat,
" Lumina fixa tenens, rivumq; notare loquacem.

" Sæpe iſtam aſſuetus prope ſylvam errare, ſuperbum.

" Ridens

" Ridens neſcio quid; nunc multa abnormia volvens,
" Aut deſperanti ſimilis nunc pallidus ibat,
" Ut curâ inſanus, miſerove agitatus amore.

" Mane erat, et ſolito non illum in colle videbam,
" Non illum in campo, notâ nec in arboris umbrâ:
" Jamque nova eſt exorta dies; neque flumina propter,
" Nec propter ſylvam, aut arvis erit ille jugoſis.

" Adveniente aliâ, portatum hunc ordine mœſto
Vidimus, et triſtes quà ſemita ducit ad Ædem
" Rite ire exequias; ades huc, et perlege carmen
" (Nam potes,) inſcriptum lapidi ſub vepre vetuſtâ.

EPITAPHIUM.

NEC famæ, neque notus, hìc quieſcit,
Fortunæ Juvenis, ſuper ſilenti
Telluris gremio caput reponens.

Non

Non cunas humiles, laremque parvum
Contempſit pia Muſa; flebiliſque
Juſſit Melpomene ſuum vocari.

Huic largum fuit, integrumque pectus,
Et largum tulit a Deo favorem:
Solum quod potuit dare, indigenti
Indulſit lachrymam; Deuſque amicum,
Quod ſolum petiit, dedit roganti.

Virtutes fuge curioſus ultrà
Scrutari; fuge ſedibus tremendis
Culpas eruere, in Patris Deique
Illic mente ſacrâ ſimul repoſtæ
Inter ſpem metumque conquieſcunt.

CHRISTOPHERUS SMART

SAMUELI SAUNDERS, *Col. Regal.* S. P. D.

PHŒBUS et Liber, Chariteſque mecum
Nocte cœnabunt, (ita ſpondet Hermes)
Noſtra ſed prorſus, niſi te magiſtro,
Poc'la recuſant.

Attici dives venias leporis,
Non ſine aſſueto venias cachinno, et
Blanda pinguedo explicitâ renidens
Fronte jocetur.

Georgium expecto, ſalis architectum
Duplicis vafrum ſatis, æmuloſque
Spero vos inter fore nunc, ut olim,
Nobile bellum.

Dumque lucubrata per omne longi
Frigoris ſeclum pueros tenellos
Alma nox pictas videt otioſos
Volvere chartas,

Proh pudor! devota lucro juventus
(Ut puellarum numerus senumque)
Pallet insomnis repetita duri
Jurgia ludi,

Sperne (nam multæ cerebrum Minervæ
Est tibi) nugas age quæstuosas,
Arduas, vanas, et amara curæ
Elue mecum.

Jam riget tellus, hyemantque menses,
Vestra sed laurus vireat, tuisque
In genis dulcis rosa Sanitatis
Sera moretur.

Aul. Pemb. CANTAB. 1750.

†††††††††††††††††††††††††††††††††††††

Fortes creantur fortibus et bonis.

VULNERA seu dederis, *Gulielme*, viriliùs hosti,
Vulnera seu tuleris fortiùs, ambigitur.
A *Carolinâ* illud non ipsâ in morte dolente,
Hoc patre, cum *Gallo* bella gerente, tenes.

SOLILOQUIUM AD *VACUAM BURSAM.*

PERNICIOSA movet dum Febris membra tumultus
Per mea ſollicitos, flamma torrente medullas,
Bellaque corporeæ intentat lethalia formæ,
Cur, velut umbra, oculis venis obvia, Burſula, noſtris;
Terribilis viſu, et macie confecta ſuprema?
Cur diræ rerum ſpecies mea pectora turbant?
Cur pæupertatis miſeræ mihi ſurgit imago
Horrida? Menè animo jam ſpem dimittere noſtro,
Remque, tibi ſimilem, fieri ſine munere vitæ?
Hinc diſcede procul. Quid? Adhucne, ingrata, moraris,
Ut domino inſultes curis morbiſque jacenti?
Eſtne tibi noſtros animus intendere caſus?

—At cupis ipſa loqui? Quid habes ſub prodere lucem?
Nullam ſacrilegi labem, nec ſanguinis, opto!
Ad quoddam fatale caput fontemque malignum,
Tu tamen hanc debes ſtragem, miſeramq; ruinam,
Hoc vacuum horrendum. Num te jactura bonorum
Taliter immeritam non expectata redegit?
Ob tua vel meritas pœnas commiſſa dediſti?
Remne tuam nimio oblimaſti prodiga ſumptu?
Teve mala ingluvie ſcurrarum turba vorarunt?
Dic mihi, damnatuſne unquam præs ipſa fuiſti,
Credula non gratis nimium mortalibus? Eheu!
Ergo non mirum, ſi deſolata ſupremo
In contemptu habita es! Nidus quam ſordidus ipſe eſt,
Omnes cum pennis ſumptus abiêre volucres!
Nunc es egena quidem miſerandi Burſa Poetæ!
Heu! quantum mutata à quo te novimus olim,
Cum ſonus aureolûm placidos emiſit ad aurem
Concentus, et dulce melos de ventre cavato,
Corripuitque animam!—Sed, adhuc, ſic umbra manebis,
Ens incorporeum, ſine fructu nomen inane?

Quo

Quo tum more tuus dominus miſerabilis ipſe
Diſſolvam reliqua, aſſiduam Cereremve parabo?
Quo ſua ſoſtra dabo medicis, ſchedulamque remittam
Myſtica ſcripta mihi referentem pharmacopolæ?
Quove foras ibo? Quis enim, ſine numine veſtro
Inſpirantem animos Bacchum, potumve minorem
Zythi, præbebit? Si, dic, Apparitor atrox
In me crudeles raptim ſuperinjicit ungues,
Quis ſe tum prædem pro me committere vellet?
Creditor an Phœbi juſſu componet acerbus,
Ærave cum teneris mutabit debita rythmis?
Tu putes, rationis inops, quod et ille bicornem
Parnaſſum acciperet ſub pignora? Nempe, nec ipſe,
Nec Tagus auriferus, Pactolus et auriger amnis,
Dulcia nec Tempe, Elyſii nec amœna beati,
Pondera ſordidulis vel habebunt ulla tabernis
Artificum, nec enim reſcindent ſyngraphon unum.
Non Orpheus, famâ notus, qui ſaxa feraſque
Traxit, et infernas cantus dulcedine ſedes,
Moverat, ipſe ſuo vocis modulamine ſummo
Aures ſartoris poſſet mulcere retuſas,

Pectora carnificis nec ſolvere dura cruenti.
Ipſe ego ſi canerem, magno non impar Homero,
His male morigeris, parvis animiſque, ſuperbum
Æaciden, prudentem Ithacum, Pyliumq; ſagacem,
Hectora, Tydiden, nec non Telamone creatum,
Rere meos cantus expungere nomina poſſe?
Carmina nulla valent rationes tergere ab illis,
Qui nil præterquam laudant in vatibus aurum,
Quo dominum potes ipſa tuum monſtare carentem!
—Ah! Muſa, eſt tempus jam nunc incendere lauros,
In ſaliceſque Lyram teque et ſuſpendere veſtram.
Et fuge tute oculos, macilenta O Burſula, noſtros;
Nec magis huc venias, dominum terrere maligno
Tam vultu, nobis præſagia læva ferenti.
Hinc, procul! I quendam ad miſerum, qui te caret uti.
—Siſte tamen: pravâ nolem te ſordè teneri,
Et novi te malle meis ſubſidere ſatis.
Ergo Burſa, priuſquam nos ſecedimus, unum
Incipe moliri audacem precor ipſe laborem.
I, velut es, vacua et queribunda require * * *,
Dulce decus noſtrum, rerum columenq; mearum,

(O utinam

(O utinam Dominus tuus ipſemet ire valeret!)
Excutiatque petas fatum miſerabile veſtrum,
Tabificamque luem, et domini quoque triſtia—
Quis ſcit
Quin pauci aureoli præſentis imagine cuſi
Cæſaris, aut Caroli, aut Jacobi, vel Gulielmi,
Nobilis aut Annæ, magni Georgive prioris,
(Nam Genus omne probo nummi diſcrimine nullo,
Nec ſtudeo cujus *Partis Cauſæve* ſit aurum)
Munificâ fortaſſe manu labantur ab illâ?
Aut mage (quod votis habeo) ſi mens foret ipſi
Te loculis inferre ſuis tempuſque ſub aptum
Promere ut es miſeram, præſignes inter amicos,
Tantum animo, quam vi, vati prodeſſe, beatos,
Quantum mutata, et quam tu jucunda, redires!
Quàmque, ô, grata meis avidis amplexibus eſſes!
Tunc ego te Burſam veram, Comitemq;, putarem!
—I, fac tentamen. Si frontem maximus Heros
Iratus caperat, pulſam aut te negligit, eheu!
Infelix vixit *** longius æquo:
Namque quidem Cœlo--inſpiratis vita Poetis
Eſt mors, propitio vacuis fulgore potentum.

Ad AMICUM.

EST mihi menſem ſuperantis unum
Nectaris puri cadus; eſt in arcâ
Mira vis peti; nitet & tuborum
Fictilis ordo:

Promptus huc adſis; facilem ſodalem
Te ſimul multi volumus; benignos
Cura Lucinæ mihi nuper almæ
Reddidit ortus.

Ridet in cunis mihi parvus infans,
Hoſtibus forſan metuendus olim,
Qui fero Hiſpano prohibebit arces
Enſe *Britannas;

Caſtra

---

*Gibraltar.

Caſtra vel Belgis inimica ponet,
Aut maris vindex retonante dextra
Diruet falſo reparata furtim
Mœnia *Gallo;

(Auguror forſan bonus) & leone
Sævior campis ruet in remotis
Prodigus vitæ, & gravibus tyrannis
Triſte flagellum.

Quicquid at fatis placitum eſt, beatorum
Emicet tandem numero, tuique
Militem, quæſo, decores puſillum
Nomine fratris.

---

* Dunkirk.

Aſcenſus

Aſcenſus & Deſcenſus Mercurii in Barometro pendent ex gravitate Aeris & Vi ejus elaſticâ

QUID moveat tubulis argenti fuſile pondus
Impulſu vario, refluas cur unda metalli
Sæpe vices ſubeat diuturnæ inimica quieti,
Dicere fert animus. Rerum cognoſcere cauſas
Occultoſque placet veri penetrare receſſus.

Ergo age, ſi ſumas vitrum, cui excluditur aer,
Et ſtagnum argenti fundo ſubſidat in imo,
Protinus aeriis agitatum viribus intus
Mercurium tolli cernes, dum pondus adæquet
Urgentis fluidi; dein quali prægravet aer
Impete, ſic tubuli per ſumma, per ima, liquorem
Conſpicies ferri, vitreoque errare canali.

Temperiem hinc cœli variam, & mutabile pondus
Aeris invenies; quo blandos tempore ventos,
Quo Boream expectes, pluviales æthere nubes,
Venturaſque hyemes, oſtendet mobilis Index.

Neve

Neve puellarum timeat pulcherrima turba
Inſolitis ſtudiis verſari, arcanaque rerum
Diſcere, nam fidis monſtrabit Machina ſignis,
Quo deceat cœlo craſſi velamina panni
Induere utcunque invitas; quandoque licebit
Fatales nimium Veneres expromere, pictis
Veſtibus ornari, rutiloque effulgere in auro.

Ergo ubi deſcendens æſtate argenteus humor
Fundum amat, impatiens pluviæ, metuenſque procellam,
Suſpecti tibi ſint imbres; nam lumine Solis
Cœleſtes oræ incipiunt rareſcere, donec
Aera denſati ſuperent gravitate vapores,
Et piceas glomerent nubes; tum noctis imago
Ingruit & tenebrarum horror; ruit agmen aquarum
Undique, ſurgenteſque fatigat pondere ariſtas.

Si fluidum aerium nebulas ſublime volantes
Suſtentans juſto libramine fortius undam
Mercurii ſurſum impellat; placidiſſima cœli
Tum facies, jucunda dies, innubilus æther;
Omnia Phœbeo curru recreata fatentur
Æſtatem, ridetque novo Natura decore.

Sin

Sin nimis oppreſſum contendat ad ardua vitti
Argentum, tum pars inflat ſerventior anni
Virgineis nocitura genis, tum nubibus ignes
Terrifici exiliunt, terræ ſpirac'la dehiſcunt,
Aridaque exhauſto langueſcunt prata virore.

Quinetiam hyberni vultus & tempora cœli
Indicat interpres & conſcia lympha futuri.

Namque ubi bacchetur duræ inclementia Brumæ,
Aeris & pigrâ frigentis mole laborans
Immodicum liquor aſcendat; mox omnia cano
Horrebunt ſolidata gelu; maris ipſe coactus
Regnator propriis patietur vincula regnis.

Sæpe etiam rauco luctantes murmure venti
Nutantes agitant ramos, inimicaque volvunt
Flamina; ſternuntur quercus, latèque ruina
Spargitur; intereà mole incumbente levatum
Mercurium lapſu tubuli petere ima videbis;
Quippe aer celeri percurrens impete terras,
Vix lambit, tenuique impellit pondere vitrum.

Sic ubi ſtricta ſilent, curſus oblita priores,
Flumina; mox puerorum ad ripas æmula turba
Irruit exultans, & curſu concita fluctus
Perſtringit vitreos; lævis tamen area nullis

Infirmata

Infirmata manet rimis; illi agmine longo
Marmoreum ſulcant callem, luduntque per undas.
Sin fixis inſtans plantis immotaque rivos
Turba premat, mox tota gemit, multoque fatiſcit
Vulnere planities glacialis; protinus unda
Claudier indignans, quà ſit data porta ruenti,
Ebullit, totuſque exundat flumine campus.

Exuletne Poeſis?

CÆCUS, et æris inops, errans et ubique locorum
Geſta ducum cecinit fortia Graius homo.
Urbes et quanquam ſeptem poſt funera vatis
Civibus hunc certant annumerare ſuis;
Quærere paupertas cum victum hinc inde coegit,
Egregium agnovit patria nulla Senem.
Non opus eſt Muſis fixo lare, qui ſacra primus
Illarum cœlo detulit, exul erat.

Carmina in Templo Veneris (apud MIDDLETON STONEY*) ſcripta.*

QUISQUIS es, O Juvenis, noſtro vagus advena luco,
Cui cor eſt tenerum, cuique puella comes.
Quiſquis es, ah fugias; hic ſuadent omnia amorem,
Inque caſâ hac latitans omnia ſuadet amor.
Aſpice flore capri quam circum aſtringitur ilex
Hærenti amplexu et luxuriante comâ:
Sylva tegit tacitum ſternit tibi lana cubile;
Aut tumet in vivos mollior herba toros.
Si quis adeſt, ſubitum dant tintinnabula ſignum,
Et ſtrepit in primo limine porta loquax,
Nec rigidum oſtendit noſtro de parjete vultum
Actæuſve ſenex, dimidiuſve Cato:
At nuda aſpirat dulces Cytherea furores,
Atque ſuos ritus conſecrat ipſa Venus.

Carmen

Carmen in celeberrimi GLOVERI *LEONIDAM.*

VOS animæ illuſtres, quæ jam per amœna vi-
reta
Elyſii, ad liquidos fontes divina piorum
Concilia heroûm celebratis, et horrida longè
Tartara deſpicitis, tetras caligine ſedes;
Leonidâ invicte, et Dithyrambi dia Juventus,
Diomedonque, et vos vix tanti nominis umbræ,
Quæ ſimul ob patriam cecidiſtis vulnera paſſæ;
Reſpicite ad vatem, qui veſtris tanta triumphis
Dona parat Muſarum, intactaque nomina verſu
Aonas in montes, Pindique cacumina duxit.
Scilicet ille novas acies, nova caſtra camœnâ
Suſcipit audaci; en quantis late obſtrepit arvis
Agminibus Xerxes, inſtructoq; undiq; campos
Marte tenet, ſpoliiſque hoſtes Orientis onuſtos
Barbaricis, variiſq; armis, vaſto ordine pandit.
Contrà Argiva Phalanx, haud magnis freta catervis
Sed propriâ virtute valentior, agmine pauco

Obſidet Oeteas fauces; anguſtaque circùm
Caſtra tenet, quà ſaxa altis horrentia ſylvis
Deſupèr, et fractæ nemoroſa cacumina rupis
Immanem obtendunt umbram; dum per juga ſumma
(Præruptas ſedes,) tranquilla ſilentia latè
Servat opaca quies, et amantes aſpera Nymphæ
Aerii montis, ſylveſtria templa tuentur.
Inſtat ovans Xerxes, adverſaque prælia miſcet:
Sed quid tot gentes, quò tanta ſuperbia belli!
Quas ibi tunc ferro ſtrages, quæ funera ſparſit
Leonidas, clariſque inſigniit arva tropæis!
Viribus haud æquis, haud diis concurritur æquis.
Scilicet Hos cingi monuit fulgentibus armis,
Vox vigilis patriæ, anguſtiſque invicta periclis
Libertas, acrem incuſſit per pectora flammam.
Quin parvo conſueta cohors vovêre juventam
Virtuti Martique: injecta catena magiſtri
Hos ſævi invitos peregrina ad prælia traxit,
Et patriâ avulſit, natiſque et conjuge dulci,
Pacatiſque arvis, longoque errore coegit
Per vices cœli varias, perque aſpera Ponti,
Haud cædis cupidos, animiſve hoſtilibus actos

Regna

Regna ignota ſequi, atque aliena laceſſere bella.
Vis tanta imperii, nimiique licentia ſceptri!

Qui verò mentes arrectus percipit ardor
Dum canit immemorem Lethive horæve propinquæ
Fervere Leonidam, certæque occurrere morti,
Fortunate Heros, cui candida fata dederûnt
Pro patriâ periiſſe tuâ! felicior ergo
Tu forti Æneâ, et cedet damnatus iniquâ
Sorte tibi Theſeus; ipſoque Alcide tropæa
Tu majora refers: utcunque domaverit anguem
Ille ſerum, et Nemeâ vaſtum ſub rupe leonem;
Olli haud pro patriâ licuit labente perire,
Haud tantî tot Geſta, et duri mille labores.

Vos pariterque uno devincti vulnere amoris,
Qui jam frondenti per opaca cubilia myrto,
Ducitis antiquæ tranquilla oblivia curæ,
Tu *Teribaze* ingens, *Arianæque* umbra fidelis,
Reſpicite et ſaltem, ſecretâ e ſede, poetam,
Proſequitur cineres tanto qui munere veſtras,
Qui manibus gratis tam pulchros ſpargere flores
(Triſte miniſterium) veſtram dignatur in urnam;
Ipſe pias etiam exequias, et ſerta pararem,

Quin felix tumulus partoque inſignis honore
Haud ultrà ornari geſtit, ſtudiique recuſat
Dona ſupervacui, et levioris munera Muſæ.
At ſaltèm liceat duram miſereſcere ſortem
Amborum, et lachrymâ triſtem donare favillam.

Vos autem Ætei rupes, et grandia ſaxa,
Et nemorum quæcunq; umbræ juga lata coronant,
Vos veteres pinus, et tactæ fulmine quercus
Cum Nymphis ſalvete! et tu formido verendi
Relligioſa loci, quà ſolo in littore ſecum
Heroûm (ut perhibent) ſimulacra ingentia paſtor
Sæpe ſub obſcurum noctis volitare paveſcit.
Tu *Glovere* ſimul, ſeu publica fortè miniſtras
Munera, civiles agitans in pectore curas,
Seu dulces numeros divinaque carmina pangas,
Muſarum ſuavi per mentem inſtinctus amore,
Tuque etiam ſalve! neq;enim ſibi vendicat omnes
Jam lauros *Milto*, ſiquas ferat *Anglia* mater;
Non Britonum ſolus frontem velâſſe coronâ
Pieriâ, aut liquidam libâſſe Aganippida jactat,
Tantâ utcunque lyrâ primævi fata parentis,
Tartareaſque domos ſonet, et cœleſtia bella.

RICARDO MEAD, M. D.

HORRENDA ſcribant prælia cæteri,
Martiſque lauros ſanguine roſcidas;
En civicam nectit coronam,
Teque cupit celebrare Muſa!

Seu tu patronus nobilis artium
Audis, benignus ſive ſalutifer
Morbos levare, idemque clarus
Artibus excoluiſſe vitam.

Ritu Herculis prima eſt tibi gloria
Angues domare et lurida toxica;
Tu, fraudibus lethi retectis,
Expedies per acuta cladis.

Cùm peſte languet Gallia lividâ,
Te quiſque poſcit ſollicitâ prece;
Et te docente artes fugandi
Diva ſalus tua dicta firmat.

Monſtrare leges, quîs mare turgidum,
Neutonus audet; fortiter adjuvans
Monſtras eaſdem nos regentes
Corporibus peperiſſe morbos.

O corda fratrum! lucida ſidera!
Et vos amicè lumina jungitis!
Externa *Neutonus* retexit,
Ipſe hòmini interiora pandis.

Non mille proſint, queîs tua pectora
Implentur, artes! heu rapit omnia
Sors dura! *Divinum ſenemque*
Poſtera te celebrabit ætas.

Antiqua ſolers marmora comparas,
Vultuſque fictos undique colligis;
At mox tua infixi nepotes
Ora magis pretioſa ducent.

Jam, fata ſemper vincere pertinax,
Præcepta tradis fida medentibus;
Sic tu brevi vitæ ſuperſtes
Eſto opifer venientis ævi.

ODE

Ad PAMELAM *Canem dilectiſſimam.*

CHARA, quæ ſemper ſtudio fideli
Me ſequi gratum ſolita es magiſtrum,
Quæ colis multo officio, vocanti
PAMELA adeſdum!

Tu comes, lætos quoties per agros
Tendo, ſectaris, leviterque circum
Curſitans, caſſis volucri fugaci
Morſibus inſtas:

Sive neglectos repetam libellos,
Accubas levi reſoluta ſomno;
Apta tu vati comes ambulanti,
Apta legenti!

Tu mones, ſiquis per operta noctis
Ingruat ferus; ſociiſque menſis
Aſſidens, quæris tua, certus hoſpes,
Jura patellæ.

Seu

Seu petam remo facili fluenta
Iſidis, læves per aquas eunti
Adnatas, curſu vel amas propinquam
Stringere ripam.

Quin canum Tu nobilium eminebis,
Qualis errantis memor ille Ulyſſis,
Qualis aut felix mediis refertur
Sirius aſtris.

Reſpue quod non es.

CUR Juvenum cœtus Lais jam antiqua frequentes?
Cur te ludentem nox videt atque dies?
Cur fuco rubuere genæ et laſcivit ocellus?
Mollia cur reſonat ſibila lingua procax?
Quin ſapere audeto; neque enim potes eſſe puella,
Et tibi Matronæ ſic perit omne decus.

Iridis

Iridis Phœnomena ſolvuntur ex diverſâ Radiorum Refrangibilitate.

ÆTHERA ſignatum commiſtæ aſpergine Lucis
Muſa refert, alto ſuſpenſamque Irida cœlo.
Phœbe mihi cauſas memores, tu luminis author,
Vel tu, reginæ Divûm quæ nuncia, eandem
Iſque rediſque viam toties, Thaumantias, adſis;
Unde fidele Jubar greſſus comitatur euntis,
Splendidaque effigies impreſſa ſequacibus undis?

Imminet Heſperiis cum ſol proclivior oris,
Præcipitatque viam, fuffundens igne rubentes
Obliquo nubes; alti laquearia cœli
Luce repercuſſâ, & læto fulgore coruſcant.

Plurima tum roris tenuis, leviumque vaporum
Semina, (Quæ Phœbi vigor igneus eripit auræ)
Quà denſis coeunt alis ſocialeque jungunt
Agmen, ibi preſſæ nimiâ gravitate reſolvunt
Prægnantes alvos nebulæ, prorumpit aquæ vis

Quà

Quà data porta;—ſinu pateſacto plurima gutta
Certatim ruit, ac undis impellitur unda,
Quam citò labentem tranſverſo intercipit ictu
Phœbus; at intereà laſciva, tepeſcere gaudens
Lympha jubar celeri geſtit perrumpere lapſu,
Impediens radios radiis; ut pecten eburnus
Tranat fila, cito telamque interplicat ictu.
Hinc oritur lucis non enarrabile textum;
Undique diffuſo hinc cœlum ſplendore refulget.

Phœbus enim pluvias fœcundo ſemine flammæ
Commiſcens, multâq; imprægnans luce, per auras
Splendida roriferas fingit miracula rerum;
Quacunque objectos radios conceperit unda,
Semita clareſcens convexo circinat arcu
Nubes, inſequitur tum dulcis Scena, colorum
Tum confuſus honos & non imitabile lumen.

Mimica quot ſpecies mentitur lana colorum,
Seu formæ ſtudioſa cohors quot ſyrmate pandit,
Una tot Iris habet, miro ſplendore coronans
Æthera perfuſum mixtæ farragine lucis.

Ac ne Parrhaſiâ ſe victam lugeat arte,
Orbibus inſinuans orbes curvamine cœlum

Deſignat vario. Violæ contermina fuſcæ
Infima Phœniceo ſignatur tramite nubes.
Interiore ſinu radiatæ copia lucis
Junctură ambiguâ, ac tenui diſcrimine fulget,
Humanamque aciem confinia fallere ſueta
Splendoris dubii; gratus ſpectantibus error.
Cærulus impoſitam ſecernit jaſpida fluctus;
Tum ſinus exterior fulgenti ſublitus auro
Cernitur, & flavo reſplendent nubila circ'lo.
Credas ſecurum, quid furti conſcia Juno
Sentit, ſæpe Jovem tritâ regione viarum
Divite jam pluviâ, & falſo delabier auro.
Gyrus at extremus ſummam qui circuit æthram,
Grande coronat opus flammas imitante pyropo.

Lumine compoſito ſimplex ſic nubibus Iris
Pendens irradiat cœli convexa; colorum
Nymphis gratus honos; virides ſimulare Napæas
Seu cupiant; paſſove inſignem Dorida crine
Cæruleum: malint peregrino tingier oſtro
Vultus; an placeat fluitantia carbaſa, fuci
Prodiga multigeni levibus committere ventis.

Nec ſat mirari eſt arcu ſpectabile cœlum,
Plurima quippè arbos fulvo frondere metallo

Viſa, ac auratos late diffundere ramos:
Præterea irriguos trepido Jove ſuave nitentes
Cernere fas, dibaphos reflexâque Iride flores.

Invidus aſt tendit ſimul ac abſcondere lumen
Cynthius, aut vires notas non amplius æther
Sufficit exhauſtus; ſenſim rareſcere ſplendor
Incipit, aut cornu fractus mox cernitur uno
Arcus; ita vacuas tandem evaneſcit in auras.

Sic agili dextrâ dum Nympha eventilat auram,
Explicat omnigeno ſucoque inſigne flabellum,
Cui ſummas varius Mæander circuit oras;
Ingenioſus amans cœleſtem imitarier arcum
Jactat, & accenſos vultûs ſplendore colores
Apparere novos, perituros ſole remoto.
At ſi ſævitiâ facili detorſerit ora,
Aut nubi occiduos vultus ſummiſerit, illi
Omnis abit decor, & furvus circumvolat horror.

Pars tertii Capitis Prophetæ Habakkuk.

FULGORE cinctus terribili Deus
Teman relinquens, et *Paran* arduam,
Complevit orbem dignitate,
Et liquidi spatia ampla cœli.

Mors multiformis prævolat, et lues
Horrenda, morborum agmine lurido
Stipatus incedit, voraces
Sub pedibus glomerantur ignes.

Emensus orbem luminibus, gravem
Mundi timorem gentibus incutit:
In plana subsedere colles,
Et refugi tremuere montes.

Magno feroces Æthiopas metu
Vidi paventes, vidi ego territos
Orbes remotos, et trementem
Horrisono *Midian* tumultu.

Vidêre rivi te pavidi; juga
Vidêre te, te flumina, et intimis
Terrore perculſi cavernis
Æquorei gemuêre fluctus.

Caliginoſâ nocte premit polum,
Siſtit fugaces Sol pavitans equos,
Nec triſte pallens Luna curat
Noctivagos agitare curſus.

Senſêre gentes quid Deus impiæ
Poſſit *Jacobi*; terribilem quatit
Haſtam, feruntur dum ſagittæ
Lethiferis per inane pennis.

Fluenta curſu præcipiti retrò
Volvêre fluctus; attonitus petit
Jordanus undam, dum triumphans
Per trepidas equitavit undas.

Tantæ ruinæ dum ſonitus minax
Perſtringit aures, faucibus obruta
Vox hæret, imas et pavores
Horrifici penetrant medullas.

Si terra fructus edere desinat,
Natura languens si pereat, canam
Te principem terræ, Jehovah,
Te saperi dominumque cœli.

Nugis juvat addere pondus.

SURGIT mane suo, duodenam circiter horam,
Ad speculum sese compositura Chloe.
Ordine stat justo muliebris tota supellex;
Fasciolæ, pecten, splenia, nardus, acus.
Incipit à capite, et longâ caput instruit arte,
Fida coadjutrix Mopsa ministrat opem.
Proxima cura stolam sibi quam concinnius aptat,
Quæ neqne dedeceat, quam neque gessit heri.
Et tunica ut nitidum satis ampla tumescat in orbem,
Nec sinit exiguos delituisse pedes.
Lintea tum cubitis, laterique crepundia fixa,
Et quæ non numerat machina muta diem.
At quorsum hæc? curat nugatrix quid nisi nugas,
Et sese et servas lassat agendo nihil.

ALBION.

1720.

PHOEBE Pater, tremulis qui primus carmina nervis
Aptâſti, fingens modulos vociſque, lyræque;
Alme mihi faveas, & curſus ſterne ſecundos
Laudibus, *Albionis*, tenuis dum dicere magna
Aggredior, gentiſque immenſam evolvere famam!

Oceani vitreis effert caput *Albion* undis
Formoſum, dilecta Deo: cui ſpargere late
Tollenti oppreſſos, debellantique ſuperbum
Arma dedit Pater, & longos celebrare triumphos.

Salve pulchra Parens nemorumque *Britannica* Tellus,
Heroumque! viret grati quà plurima campi
Area, ubi *Fauni*, *Nympharum*que agmina, lætâ
Exurgente die, choreis laſciva protervis
Indulgent, nullis quamvis, niſi viſa Poetis.

Vere novo, primum cum mollia prata cadentes
Fœcundant

Fœcundant imbres, *Zephyruſque* tepentibus alis
Purpureas mulcet violas, tenereſque *Hyacinthos*:
Non tales *Hyblæus* apex, vel ſuavis *Hymetti*
Picta juga, aut ſpirans *Arabum* nemus halat odores.

Media theſauros ſileat, ditiſſima terra;
Nec *Ganges* pulcher gemmis, aut aureus *Hermus*
Laudibus *Albionis* certet: non *Itala* tellus,
Bactrave, vel multo pinguis *Panchaia* thure.

Hic flavæ ſegetes, herbæque feracia paſſim
Arva implent: illic late Autumnalia dona
Splendeſcunt, ridetque ſuo *Pomona* paratu.

Quam bene, ſemoti procul a diſcordibus armis,
Cum larga optatæ complêrunt horrea meſſes,
Dulcibus ingentem ſuccis cratera coronant
Agricolæ, longo ſolventes corda labore!

Sæpe ſub intextis ramis, antroque repôſti
Secluſo nemoris ſolis feriantur ad ortum.
Agmina ubi Volucrum, cum primum *Aurora* refulget
Luce diem roſeâ pingens, vocalia fundunt
Mellifluos per colla modos: ubi *Flora* nitentes
Expandit formoſa ſinus, & membra fragrantem

Inveniunt

Inveniunt laſſata torum, dum purior amnis
Electro invitat curſu crepitante ſopores!

At *Lyra* me primum, *Latiæque* ante omnia *Muſæ*
Accipiant! *Muſæ*, ſolamen ſuave laborum,
Sint ſemper cordi! Quod ſi *Grynæus Apollo*,
Forte aliquâ infandâ, inſpirare recuſet anhela
Pectora, nec Vatem velit exaudire vocatus;
Rura mihi, aut nemora imprimis, luciq; ſonantes
Albionis placeant! inglorius, *Albion*, agros,
Seceſſuſque tuos, & euntia murmure dulci
Flumina amem! oh! ubi naſcentes clementior aurâ
Depingit flores! oh! Quis me ſiſtet in arvis,
Queis gaudent formoſa tuæ *Cantuariæ* turres
Aut ubi pacato it *Thameſis* Pater agmine culta
Inter opima virûm, & ſinuoſâ elabitur undâ!
Cantari *Thameſis* dignus meliore *Thaliâ*.
Quod ſi non aureis fluat invidioſus arenis,
Nec rutilas *Hermi* pretioſo gurgite ſpumas,
*Eridani*ve vomat; magis aſt innoxia dona
Effundit gremio. Ripâ generoſus utraque
Innumeras diſpergit opes, æſtuque benigno
Expatiatus agros glebæ florentis honore

Æterno

Æterno veſtit. Neque enim nimis importunâ
Auſert dona morâ, nec præceps gurgite vaſto
Irruit, & *ſternit ſata lata, boumque labores*;
Sed bonus, & placidus tranquillâ labitur undâ,
Donat, & indulget pleno ſua munera cornu.

Oh! ſi ſic fluerem! talis ſi incenderet æſtus
Pectora, *Denhammo* qualem *Latonius* olim
Indulſit, cum te divino carmine Vates
Laudârit Pater, & meritos celebrârit honores!
Si mihi nunc ſimili rueret per anhela tumultu
Corda furor pulſans! Quis enim cantare valebit
Quis tantas Urbes, veterumque palatia Regum?
Quis poterit dignâ *Auguſtum* celebrare Camœnâ?
Auguſta Angliacæ ſublimis gloria gentis,
Jure ſibi primos toto orbe expoſcit honores.
Illa, velut *Phœnix*, poſt funera, fataq; ſurgit
Nobilior, pulchrum inque dies caput altius effert.

Roma Triumphalis ſileat *Tiberina* fluenta,
Inſigneſque Viros armis, & Templa Deorum.
Illa ſuos etiam oſtentat longo ordine Reges,
Heroaſque, ſuos fluvios, arceſque laborem
Immanes operum.
Dum Pater hinc atq; hinc charis mille oſcula ripis

Delibans

Delibans blando *Thameſis* fluctu alluit urbem,
Florentemq; opibus, magnamq; potentibus armis.

Non procul hinc fauſtis ſua culmina tollit in auras
Vindſora auſpiciis: illuſtres arduo turres
Vindſora oſtendit, florentiaque aſpicit arva.

Hæc teneros riſus, atque incunabula læta
Viderat Heroum, cœlo plaudente, *Britannûm*.
Felix prole Virûm! Qualis turrita per urbes
Magna Deûm Genitrix, curru ſubvecta, ſuperbit;
Quam ſtipant centum, ſoboles numeroſa, Nepotes,
Omnes Cœlicolæ, atque omnes Supera alta tenentes.

At non Heroas poſſet jactare *Cybelle*
Ex ſerie tanti generis, queis gloria major
Exurgit, quam quos gremio ſuſceperat almo
Vindſora: haud tantos priſci cecinere Poetæ.

Ut non volvamus veterum monumenta virorum,
Inveſtigantes quis turres condidit altas,
Angliaciſque jugis ſublimem hanc addidit arcem:
(Seu magnus *Brutus*, ſeu Martius *Albannactus*,
Canutuſve

Canutuſve potens, *Italis* ſeu *Cæſar* ab oris)
Sed poſuit (quiſquis fuerat) *Capitolia Romæ*
Æmula *Tarpeiæ*, haud indigna *Tonante Britanno*.

Quis Deus hinc vatem votis non ſurdus ad hortos
Oxoniæ tollet roſeos, & florea rura:
Suavia ubi juxta poſitus violaria molles
Captarem ſomnos, operoſo carmine feſſus?
Deliciæ immanes! ſacris quà pulcher *Apollo*
Immixtus regnat *Muſis*, plenamque Juventæ
Indulget flammam. Hic *Italam* te tendere *Muſæ*
Addiſoni! docuere lyram, quem flumine largo
Flêre, nimis charum, longos flebuntque per annos!
Te *Youngæe!* etiam inſpirant, qui proximus illi
Scis pulſare chelym.: & Vati lugubris adempto
Carmine ſupremos lachrymoſo ſolvis honores.

Muſæ etiam ſacras ducunt *Carnarvon* ad undas,
Et Juvenem egregium Patris virtutibus ornant.
Olle ingens famâ incedit, ſed paſſibus æquis
Inſequitur Proles; jam jamque effulget Avitis
Artibus, affectans Patrios haud ſegnis honores.

Marmora

Marmora procumbent operoſa, avulſaque ſaxis
Saxa cadent: laudes ſedenim, nomenque manebunt
CHANDOIS! uſque tuum; ô ſeris cantande Poetis,
Sive *Iſim*, mage ſeu tua flumina, *Came*, frequentant!

Quam bene, depoſitus temere per amœna fluenta
Iſidos, agreſti te poſſem dicere verſu,
Belinda! oh! nulli formæ ſplendore ſecunda,
Viſere quam cuncti exardent, viſâque potiri!

Aſt, *Veneris* ritus tu, innuptæ more *Dianæ*,
Averſata, torum fugis, & connubia ſacra:
Virgoque virginibus, noſtrorum oblita laborum,
Intermixta erras; dum ſurdis carmina ſylvis,
Votaque, ſpreta tibi, ſtudio jactamus inani!

Flumina tunc gelida inſani, aut loca frondea luci
Quærimus umbroſi (quaſi iis rationibus amens
Falli poſſet amor!) ſpiſſiſque recumbimus antris.
Vel nemora, O *Woodſtock*, petimus tua mollia multus

Regnat

Regnat ubi decor, & rerum pulcherrimus ordo!

Quam dulce intonſos lucos, quam dulce receſſus
Woodſtocki luſtrare ſacros, fonteſque perennes,
Et myrto obductos montes, valleſque virentes;
Sæpe ubi, capta loci mirâ dulcedine, feſtis
Agmina *Hamadryadum* choreas duxere diebus!

Tales eſſe *Locos lætos, & amæna Vireta*
Fortunatorum Nemorum, Sedeſque beatas
Crediderim! blandi quà mollior aura *Favoni*
Laſcivit: campos ubi lumine gratior æther
Ambit purpureo, & multo circum halat odore!

Salve Terra ſacra! & ſoles formoſa ſerenos
Uſque habeas! nunquam rapidus te *Sirius* urat,
Aſpera hyems nunquam, aut tempeſtatum ingruat
horror!

Quam bene ſeceſſu tali, *Theobalde*, meorum
Optime amicorum (doctas *Latonius* artes
Cui plene indulſit) mordaces fallere cantu
Poſſemus curas, alternantique Camœnâ!

Forſan & illud erit tempus, cum *Phœbus Apollo*
Me quoque ad umbroſos fontes, lucoſque ſacratos

Ducat, & accendat divinâ pectora flammâ.
Tunc ego te digno cantabo carmine; ſi quæ
Cantavi tamen, utcunque ea parva, benignâ
Aure capis, non me quondam hæc ceciniſſe pigebit.

Aſt ad te, ô *Woodſtock*, errantia Muſa reducat
Carmina, regum olim ſedes dilecta *Britannûm*.
Donec cuncta arbos flebat miſerata dolores,
Roſamonda, tuos! crudelia *Roſamondæ*
Fata genam humectant. Felix tu, ſi minor ore
Luſiſſet roſeo decor: haud fœdata neſando
Crimine tunc eſſet *Woodſtock*, nec flêſſet obortis
Henricus lachrymis. Sedenim compeſce dolores
Muſa! nec in lucem longis obducta tenebris
Cogas facta. Magis, famæ dicata perenni,
Aſpice ubi tollunt ſe *Blenheimenſia* caſtra!
Caſtra, ô *Galle*, tui monumenta æterna pudoris!

Hic cladem a *Britone* acceptam, funeſtaq martis
Funera plorabit ſero: quæ themata longa
Præbuerant ô *Granta* tuis pulcherrima natis!

Tu *Granta*, ante alias longe gratiſſima ſedes,
Prole beata tuâ fulges: materque *Britannos*
Excipis alma ſinu juvenes, primoſque per annos

Informat

Informas doctis ſtudiis; primordia rerum
Quærere ſive juvat, *Muſarum & Apollinis* artes
Seu magis, aut dubiam diſcant defendere cauſam.

Oh! ſalve! noſtram nec dedignare Camœnam:
Olim equidem, circum ludens tua flumina, plectro
Lætior inſonui tremulo (*Belinda* nec altum
Vulnus adhuc lateri dederat:) noctesque dieſque
Mollia tranquillum cingebant otia vatem.

Quis *Sennoke* celebret, pulchris ubi pulchrior ipſa
Cincta nitet DORSET, *Veneris* formæ æmula, Nymphis;
Et genere egregia, & vultu. Sive illa ſalubres
Tonbrigiæ latices, magè ſeu, *Bathonia*, fontes
Inviſat formoſa tuos, & mollia rura:
Præſentem conſeſſa Deam, lætiſſima ridet
Tonbrigia, & multo ferves, *Bathonia*, plauſu!

Tu gratos renovas riſus, lumenque juventæ
Purpureum inſtauras: nec aquis jam *Sylvia* dempto
Pota tuis dolet imperio, dum denuo lætus
Fulget honos oculis, & priſca in fronte venuſtas.

Sed quo Muſa rapit vatem dulcedine captum

Thematis? abſiſtat molles depingere ſcenas,
Albion; oh! in quam cunctas natura benigna
Fundit opes! rident colles, riden[t]que poetis
Dilectæ paſſim valles: nec ſylva vireſcit
Ullibi Diis viduata ſuis; ſine murmure nullus
It grato rivus. Sedenim tibi gloria ſurgit
Major adhuc: major fama eſt læto omine tantos
Produxiſſe *Viros*; gentem, quæ laudibus orbem
Late implet, famamq; immenſam terminat aſtris.

Quis celebret ſortem *Arviragum Ambroſiumque*
cruento
Rore madeſcentem, nulli Mavorte ſecundum,
Indutumve armis fulgentibus *Athelſtanum*?
Quis *Pendam* inſignem galeâ, Martiſq; potentem
Oſwaldum?

Sed tamen ingentes *Edvardus* Marte ſecundo
Exuperat Proavos, cuncto memorandus in ævo
Edvardus. Dudum deſuetos ille triumphis
Urget in arma viros, medioque ardente tumultu,
Dum *Gallus* furit, & demens ſervire reculat
Imperio, mediis ſe ſervidus ingerit armis,
Atque irâ accenſus meritâ: "quis Patria jura

"Aſſerere

" Afferere audebit mecum? domitare rebelles
" Stat certe gentes, vel honesto occumbere fato.

Sic ait, atque latus fidâ stipante coronâ
In densas fertur turmas: per tela, per hostes
Irruit, atque solo vastos prosternit acervos
Undique, purpureoque exundat flumine campus.

Proximus huic ingens famâ, ast ingentior armis
Emicat *Henricus*. Magno nunc ore sonandum
Phœbe pater! nascente illo fera *Gallia* sylvas,
Conscia venturi herois, formidine movit
Terrificâ, atque *Alpes* vasto intonuere fragore.

Olle imberbis adhuc belli haurit dura cruenti
Principia, atque ardet rutilis splendescere in armis,
Pugnantumque acri sese immiscere tumultu.

Nec mora; sanguineo se pulvere turbidus infert
Effulgens galeâ: violento fulmine turmas
Dejicit, horrendumque hostilibus intonat arvis.

Sed tamen ante omnes viridanti tempora lauro
Vincire infausti festinat Musa *Jacobi*.
Heros magne! mihi liceat perstringere laudes
Invidiâ absque tuas! quo nunquam fortior alter

Extitit, aut melior; pietate inſignis, & armis!

Te ſedenim non bella magis, clariq; triumphi,
Nec pietatis honos, flagranſque in pectore virtus
Inſeruere exultantem radiantibus aſtris,
Quam tua *Progenies*. Magni fama uſque *Jacobi*
Prole ſuâ vivet. Neque enim de illuſtribus actis
Ullum majus opus, quam nobis omine tanto
Progenuiſſe *Annam*. Soboles digna illa parente.

Aſt (heu fata!) fugit terram regina gementem,
Et ſua regna iterum nunquam, populumque *Britannum*
Viſet læta! fluant, mea Muſa, per uda calentes
Ora fluant lachrymæ! lectiſq; aſperge ſepulchrum
Floribus; hôc ſaltem ſungaris munere, & *Annæ*
Dic pia, dic, *ſemper ſacra molliter Oſſa quieſcant!*

Diva! bene eſt; jamjam lachrymæ non amplius ora
Humectent: ſævos at pellat corde dolores
Qui tenet *Auguſtus* Majorum ſceptra ſuorum.
Gaudia perpetuum redeant revoluta per orbem
Albioni, regnante illo: dum blanda *Britannum*
Pax cingit ſolium, & ſuavis ſine fine voluptas!

Quanta

Quanta trophæa virum, belli armorumque potentem,
Expectant! hoſtes ſibi depellabit iniquos
Ultrici ferro, ſuper & *Garamantas*, & *Indos*
Proferet imperium. *Phaſis* famulabitur olli,
Et victis *Medis Britanna* per oppida curſu
Attonito refluet pontem indignatus *Araxes*.
Orbe triumphato *Paulina* ad templa coruſcum
Victor aget currum, ſpoliis inſignis opimis.
Tandem, pace datâ terris, poſcetur Olympo
Stellanti, ſuperis atque immiſcebitur aſtris.

Sera ſed illa dies, populi tutela *Britanni*
Quâ caput auguſtum rutila inter ſydera condat,
Sit precor, & faveat Deus implorantibus abſens!

Frigore manſuetis Avibus data Sportula.—

POSTQUAM prima quies* epulis, quæ manè recurrunt,
Hinc ſparſa atque illinc fruſtula carpit avis.
Jam nix alta jacet, jam frigus colligit alas;
Singula rimantem vermis & eſca latet.
Et ſalit & reſilit genialī aſſueta feneſtræ;
Nec trepidet dulces ore referre cibos.
Non abſunt iræ nec diri exordia belli,
Eum fugat imbellem fortior ales avem.
Sæpē it quæſitum conjux argutula ſponſum,
Pocula ſunt gelidæ non temerata nives.
Laſcivit chorus exultim, vireſque reſumit;
Atque tuas patitur, blandula Nympha, manus.
Uſque adeò exiles animos premit ardor edendi,
Et facit impavidos imperioſa Fames.

* *Jentaculo.*

Servitus prædiorum diuturno uſu ſolo acquiri poteſt.

QUA *Ruſi* ſpatioſa altis laquearibus aulâ,
Se foribus latis nobile pandit opus.
Hìc ſplendet ſacri lætiſſima pompa triumphi,
Expectant quoties *Regia* ſceptra manum.
Hìc profuſa ſuas diffundit *Glória* laurus,
Latitiæque viget luxurioſa ſeges.
Luxurioſa quidem;—Brevis aſt humana voluptas!
Quis novus ingreditur *Terror*, *Honoſq*; domus?
Κλὰγξσιν δ' ἄρ ὄϊτοὶ ἐπ' ὠμων χωομενοιο.
—Defendant *Veneres* corda—*Gradivus* adeſt!
Hunc ſi ſpectaret μεγαλόφρων αὐτὸς Αχιλλεὺς
Gauderet ſane hìc, quod πόδας ὠκὺς erat.
—*Dymochii* agnoſco prolem — virtute *Paternâ*
Exultat — vultu *Fortis*, & *Ære* minax.
Huic & avus, proavuſque, & longo ex ordine duct;
Vicerunt nullâ cæde (vel *hoſte*) patres;
Hunc quoque amor patriæ, *cyathique* immenſa cupido

Vincit

Vincit, & hoſtiles urget ad arma duces.
—Quin nullum contrà minitantem prælia cernens
Mugit Io!—feſtâ voce remugit Io!
Mox ponens gladium pleno ſe proluit auro
Victor, & in manibus nil, niſi vina, rubet.
Julius arma ferens petiit ſibi *Caſar* honorem,
Dymochius laurum jam petit, arma ferens.
Ille tamen munus proprio ſibi Marte popoſcit;
Et vicit *Cæſar*—non quia vicit *Avus*.
At magis ô felix tua fors Dux inclyte, laurus
Nam tibi perpetuas qui dabit, *Uſus* erit.

Infidus Amicus.

AUSONIÆ *Caſar* libertatem invidet urbi,
Morte gravi Superum numina læſa luit.
Enſe quod accipi vulnus mihi non dolet, inquit
Sed quod feciſti Tu, mihi, *Brute*, dolet.

In Obitum

Egregii Juvenis ------ SHIRLEY.

DUM Te canoræ turba ſciens lyræ
Urgent ademptum flebilibus modis,
Hoc dulcis umbra ne recuſes
Officium tenuis Camœnæ.

Cui ſi favebit Phœbus amicior
Tot illa famæ, chare Puer, tuæ
Apponet annos, quot caducæ
Mors adimit properata vitæ.

Non hic fideles quod bene feceris
Chartæ ſilebunt, te pudor et fides
Commendat, integrique mores,
Et decorans bene nata virtus.

Præſens fugacem ſiſtere ſpiritum
Heu! nulla virtus, nec pietas moram
Pudorve, febri luctuoſæ
Attulit, indomitæque morti.

Quid

Quid illa velox profuit indoles
Aut mens virilis? Væ nimium breve
Virtutis ævum! præcociſque
Ingenii fragiles honores.

Sic mille flores inter amabiles
Narciſſus horti gloria, verticem
Attollit altè, mox reclinem
Sternit humi pluvialis Auſter.

Fr. A. S. T. P.

Alitur vitium creſcitque tegendo.

FURTIVO Damon luſu ſpoliaverat hortum,
Non obſtat murus, foſſa nec alta vetat.
Perſpexit mater nimio crudelis amore,
Fœmineo culpas contegit illa metu.
Inde malum accreſcit, majora pericula tentat,
Ante horrenda reus Judicis ora tremit.
Nunc extrema virum ſubeuntem fata videres,
Et fixa infami pendula membra cruci.
Ne plores nati fatum miſerabile, Mater:
Ille ſubit mortem, quam tua cura dedit.

DELIQUIUM.

VIRES deficiunt abitque vita.
Virtutem revoca, O Deus! fugacem.

O Sol Juſtitiæ, ac Origo Vitæ,
Vitæ quâ reficis tuos alumnos,
Inſpira, obſecro, Spiritum priorem
Venis languidulis, meoſque ocellos
Luſtra ſplendidiùs nitente luce,
Perculſum ſaliat novoque amoris
Telo cor, cupidis prematque in ulnis
Quæ Tu cunque facis, Pater Deorum!
Cuncta exoſculer ambitu benigno,
Et circùm teneam datis lacertis.
Nam jucunda forent, forent amata,
Ni nubes animum gravent acerbum,
Ac urat dolor intimus medullam.

Ergo fortem, hilarem, piamque mentem,
Sedatam, facilemque, callidamque,
Indulge mihi, quæ ſciat feratque

Et pravos hominum bonoſque mores.
Nec Cor concùtiant ſuperbiarum
Fluctus turgidulum; furor dolorve
Ne vitæ obſideant vias miſellæ,
Suffocentque ſuo nigro vapore.

Mentem præbe humilem at ſimul ſerenam,
Mentem præbe hilarem at ſimul ſeveram
Te circùm choreas leves agentem
Et laudes citharâ tibi canentem.

HENRIC. MORE. A. M.
Chriſt. Coll. CANT. *Soc.*
1647.

Ne ſis Jocus.

VIVEBAT quondam cujuſq; potentis in aulâ
Ridicula ſplendens veſte, facetus homo.
Omnes hujus erat lepido diſſolvere riſu,
Gnaviter et toto deſipuiſſe die.
Ergo dedit proprium huic titulum plebs improba, nam qui
Uſque jocus, vero nomine *Stultus* erat.

Sapere et Fari.

WHITFIELDUM nuper dum turba expectat, et omnis
Impatiens tandem cepera t esse moræ;
Rockius intereà medicaster pulpita scandens,
En! ait, en opifer nec minor alter adest!
Whitfieldus vobis animas, ego corpora curo,
Et sumus in parili Doctor uterque gradu.
Hæc Panacæa valet quemvis removere dolorem,
Qui sit, qui fuerit, quique futurus erit.
Turba viri gravitate stupet; sudantque premuntq;
Ut pretiosa ferant pharmaca quisque domum.
Jam cedas *Whitfielde*, potens utcunque perores,
Extendasque manus, eloquioque tones.
Graviter at vasras tua plebs emuncta per artes
Non magis hunc fari, quam sapuisse probat.

Ad Uxorem ſuam Paralyſis affectâ, ſcilicet Hemiplegiâ, laborantem, Conjux amans et dolens.

SUAVE rubens nitido mihi Perſica malus in horto
Multâ fronde virens, et multi floris honore
Læta diù viguit. Laudat Vertumnus amatque
Dulce decus, Pomona, tuum; et ſpe gaudet inani
Promiſſos numerans fœtus ſobolemq; futuram.

Ecce repentino penetrabilis ingruit ictû
Eurus, Tartareoque afflavit membra veneno.
Ilicet omnis abit laudatæ gratia formæ,
Et modò nequicquam trunco felice ſuperba
Arbor, jam moriens recidivos plorat honores,
Arentes fibras, ſemiuſtaque frigore membra.
At vegetos fœtus ventura reſuſcitat æſtas;
Atque manû medicâ ſucciſa repullulat arbos
Miratura novas frondes ſeramque juventam.

Sic

Sic te, dulce meum decus, O Franciſcula, ſic te
De cœlo tactam rapit inclementia fati;
Te præmaturæ frigus lethale ſenectæ
Invadit, mediamque ſiniſtro dividit ictû.

At te ſemianimem mihi nulla reſuſcitat æſtas
Inſpirans vegetum labefacta per oſſa calorem.
Hei mihi! quàm luteus macilento pallor in ore
Inſidit? dubioque natant tua lumina ſomno.
Illa olim laſciva, et multi conſcia riſûs,
Hei mihi, in æternam clauduntur lumina noctem.
O ubi vivida vis, et diæ mentis acumen?
Ingenuuſque lepor? χαριτων μια, tota merum ſal,
Illa arguta, faceta, et in omne volubilis ævum
Lingua repentino torpet conſtricta veterno.
Quàm ſibi diſſimilis! balbæque infantia vocis
Interpres crepat effœti deliria ſenſûs.
En oppreſſa jacet divinæ particula auræ,
Nervorumque miniſteriis orbata ſatiſcit.
Vis agit intereà miros Phantaſtica ludos;
Ludibrium ventorum excuſſo cymba magiſtro
Fluctuat, et variâ ſectatur imagine nugas.

Jam primò, Franciſca, tibi ſtupor inſidet altus,

Heu conſanguineus Lethi ſtupor! omnia tractim
Obrepens hebetat gelido ſenſoria tactû.

Agnoſca lentæ necis omina conſcius auſpex,
Præcipienſque animo longè ventura peregi.

Heu! miſeranda jaces exangui mole cadaver
Flebilitèr ſpirans. O amans, O amabilis uxor,
Æternùm, Franciſca, vale.—

Quod ſupereſt; fugientem animam mihi velle videbar
Fidâ mente ſequi noctis per opaca profunda,
Et procul ignoti metuenda ſilentia mundi.
Sed mihi neſcio quæ prærupta vorago ſequenti
Obſiſtit; circùm caliginis obruit horror
Sollicito vanas agitantem pectore curas.

In ARISTOTELEM,

Quem Fama antiqua (vix vera) ſe in mare præcipitem dediſſe retulit, quia æſtûs marini cauſam non deprehendere potuit.

DOCTRINA ingenioque valens, et in omnibus omnis
Inveniet laudem quâ Stagyrita parem?
Quis proferre poteſt menti quæ nota patebant?
Quis potiùs mentem quæ latuere ſuam?
Explicat interpres quicquid natura docebat,
Quicquid et ars radio lucidiore docet.
Et quæ Forma Boni monſtrat, quæ Forma Trigoni,
Quâ verſus et quâ Sidera lege meant.
Hoc duce, nos Regni moderamur legibus iras,
Quod gravior labor eſt, hoc duce quiſq; ſuas.
Rhetorice, æqualem, clamavi, da mihi vocem,
Ut celebrem patrem compare laude tuum.
Aſpirate Novem vatum mihi numina, veſter
Alter ut in numeris vivat Apollo meis.
Hoc ſolum latuit Doctum, maris æſtus iniqui

Unde

Unde per alternas it remeatque vices.
Diſcendi quod non mortalia pectora cogit
Sacra fames? levius Gloria calcar habet.
Ignorare piget. Studio raptuſque ſciendi
Inflat ubique citus quò trahit illa fames.
Cumque diù juſſum mirè ſervantibus æſtum
Fruſtrà animum dederat, dat quoque corpus aquis.

———*Ingrati dona magis quam*
Dantem reſpicimus.

SUMME Pater, rerum fixa inconcuſſaq; ſedes,
Omnia qui fulcis mundi non fictus Adonis.
Fundamen Cœlorum! immobile ſuſtentamen
Telluris! magnûmque quies ſecura Deorum!
Omniparens Amor! in dias tu luminis oras
Omnia producis vaſtus quæ continet orbis.
Innumerâ tu prole tuâ terraſque feraces,
Areaque immenſum comples, ac æquora ponti.

Sæclorum

Sæclorum Pater es, Mater pia, ſedula nutrix
Te circùm quoniam ludunt humana propago;
Quos niſi tu geſtas, nutricis more, fovente
In gremio, et circumjectis tutare lacertis,
Protinùs heu! pereunt pricas repetendo tenebras,
Submerſoſque ſuo ſepelit Styx lurida ſundo.
Lurida Styx, ſummi fugiunt quam tangere Olympi
Incolæ, inextinctum ſpirantes ſemper amorem.

Nos tamen ingrati, charis dum amplecteris ulnis,
Materno ſiſtiſque genû, te cernere contrà
Vix cupimus, blandoſve tuos advertere vultus.

Sed veluti lactens infantulus ubera matris
Quæritat, et reſonas complet vagitibus ædes
Ni ſibi mox detur dulcedine plena mamilla
Vitali; Hæc igitur properat, parvumque Tyrannum
Demulcet lallis, atque oſcula plurima figit.
Ille autem nec dicta moratur, nec pia matris
Oſcula, non lætos oculos vultumque ſerenum
Obſervat, pulchros neq;, Amantûm rete, capillos.
At quò cæca fames vocat inſtans, ocyùs uber
Arripit, et niveum ſitienti fauce liquorem
Haurit, et alterno jactans ſua cruſcula motû

Maternum

Maternum refricat gremium dulcedine Senſûs
Exultans, tenerum ſucco feriente palatum.

Sic nos, magna Parens! quorum provectior
Ætas,
Sic tua nos avidis premimus ſacra ubera labris!
Sed vultum Venereſve tuas quis reſpicit? Omnes
Cæcus amor quò raptat et expectata Voluptas,
Auferimur, plenoque unà devolvimur alveo.

†††††††††††††††††††††††††††††††††††††

Domus propria Domus optima.

FRONDIBUS et pomis herbiſque tenaciter
hæret
Limax, et ſecum portat ubique domum.
Hac ſeſe occultat tutus, ſiquando periclum
Imminet, aut nimiæ decidet imber aquæ.
Cornua vel leviter tangas, ſe protinus in ſe
Colligit, in proprios ſe recipitque lares.
Secum habitat quacunq; habitat, ſibi tota ſupellex
Solæ quas adamat, quaſque requirit opes.
Secum potat, edit, dormit, ſibi in ædibus iiſdem
Conviva et comes eſt, hoſpes et hoſpitium.
Continuo indigenæ mors eſt, certiſſima mors eſt,
Quam ſibi tam charam ducit, abeſſe domi.

ANTRI POPIANI

In Littore Thameſino, Marmoribus, Metallis, et Gemmis ornati, INSCRIPTIO.

SISTE, quà latè *Thameſis* per Antri
Tecta tranſlucet, tenuiſque Lympha,
Pumices inter nitidæque Lamnæ
Semina, lento

Rore prorepit, tacitiſque furtim
Labitur guttis, pede mox crepante
Deſilit præceps, rudibuſque Gemmis
Fracta renidet:

Siſte; Naturæ ſtudioſus Hoſpes,
Ima quas Tellus meliora venâ
Promit inſontes, nec avarus Auri,
Suſpice Gazas.

Solus hic ſacri requieſcat Antri
Sede, qui, Muſæ Patriæque amore
Captus, infames benè pauper audet
Spernere acervos.

Præſtat

Præſtat obliviſci quam meminiſſe.

ANTE focum Senior ſedato ſobrius ore
Narrat præteriti temporis hiſtoriam.
Ne quid omittatur metuens, orditur ab ovo,
Nec niſi vera refert, nec niſi nota ſibi.
Sic ego—nam memini—tunc ille ita fatus, et ille
Rurſum ego (tum cineres excutit è tubulo)
Ipſe oculis egomet vidi, mihi credite, teſtis
Aurito fidei plus oculatus habet.
Sed quædam fugere—et tum narrata renarrat
Singula commemorans ordine quæque ſuo.
Quid, quod, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,
Intereà obrepit ſomnus, et hora perit.
Garrule Nugator, dum tot meminiſſe laboras,
Quam mallent ſocii te meminiſſe nihil!

TEMPLUM VENERIS.

DELICIÆ Veneris CNIDUS, hos Cytherea receſſus
Eligit, & Cnidios Amathonte Paphoque relictis
Diva petens, populis ſeſe felicibus infert.
Non timor hos, non ille quatit quem numina Divûm
Viſa ferunt aliis horror, ſed ſæpe reviſo
Ore Deæ, aſſuetis amor & fiducia creſcunt.
Sæpe levi nebulâ tegitur, patet abdita, roris
Divini ſuaves ſparſim dum fundit odores.

Urbs ſplendore nitens mediis ſe tollit in arvis,
Arva tegunt fruges, & copia munere Divûm
Largâ fuſa manu, ſegetes intacta colonis
Rura ferunt, ſurgit votis prior aurea meſſis.
Mille greges nivei perſultant gramina, dulces
Exuvias florum diffundens aura Favoni
Spargit, & æterni ſpirat nova balſama Veris:
Muſica vox avium ſilvas, & murmura campos
Lympharum variis implent concentibus, ortum

Lenta Cupidinei facilem dat flamma calorîs
Naturis, & nata fovet regina voluptas.

Proxima ſtant Veneri ſacrata palatia, ſponſæ
Condidit infidæ jam tandem uxorius altas
Mulciber hic arces, quo Divûm ante ora pudoris
Munere pacaret læſi crudelia damna.
Quæ charites fecêre, ipſæ exornata lepore
Verborum proprio ſolæ depingere nôrunt.
Aurea flammiferi nident fulgore pyropi
Atria, ſcintillis adamas micat undique ſparſis
Igneus, & radio lucet ſtellante ſmaragdus.
Dives opum locus, at rerum pulcherrimus ordo
Divitias ſuperat; quæ gratia, quanta venuſtas
Hortorum! Pomona ſuos hic alma labores
Artibus adjunxit Floræ, nec tradita Nymphæ
Ulla colunt alacres potiori munia curâ.
Nec mora decerptis ſoboles nova fructibus ortu
Succedit miro, foliiſque ſequacibus ultro
Venturi ſubeunt flores primordia pomi.
Dum cingunt Venerem Cnidii, ſi ludicra blandis
Saltibus, & genio volitans vaga turba ſoluto
Feſtivos agitat luſus, periiſſe videtur
Turbati lacerum ruris decus omne, ſed omnis

Confeſtim

Confeſtim redíens mirâ virtúte reſurgit
Florum priſcus honos, omniſque repullulat arbos,
Ingenuos ſpectare choros, agileſque puellis
Commixtas Cnidiis inter colludere nymphas
Cœlicolûm fugiens pompam Dea mitis Amorum
Gaudet, & innocuo corda exultantia luſu
Læta videt, placidæque adſtat jucunda cohorti.

Haud procul irrigui pandunt ſe florea ruris
Prata, roſas Corydon legit hic cum Phyllide paſtor,
Hic molles carpit violas, formoſior illa eſt
Semper, & hanc Floræ ſpecioſo munere partam
Eſſe putat Corydon carpſit quam candida Phyllis.

Diffuſos torquens per mollia prata canales,
Mille moras curvo Cepheus qui labitur amne
Virginibus teneri promiſſum pignus amoris
Oſcula ſi renuant oblato flumine nectit,
Et celer adverſas fugientibus objicit undas;
Tardat aquas refluus, ſtantes in margine nymphas
Ut videt, immotos venientia flumina fluctus
Tangunt, pacato lentus requeſcit in alveo;
At tenerum puris cum proluit una fluentis
Corpus, in amplexus renovato plenus amore
Surgit, & immerſam lymphis circumfluus ambit:

It, fugit, elatis vehitur dum rapta fluentis
Præda, pavent timidæ comites, simul omnibus undis
Graium tollit onus, per amœna fluenta volutam
Detinet, & gremio versans dum serpit ad oram
Quam mallet tenuisse refert, sic reddita lætas
Adveniens tandem solatur nympha sorores.

Cingit odorato campum densissima myrto
Silva, per ambages sinuoso tramite flexas
Sollicitî curas animi narratis amantes;
Ducit amor, ductos secreta in devia sensim
Fallit, & illectos semper novus implicat error.

Est sacer & nulli silvam prope pervius astro
Lucus; vivaces reverenda cacumina quercus
Nubibus, & cœlo capita immortalia condunt:
Hic sancto percussa metu trepidantia corda
Et nemus obfuscum & tenebrosa silentia terrent;
Has sedes nondum terrâ mortalibus imâ
Crediderim egressis cœtum coluisse Deorum.

Quà datur externas penetrare ad luminis auras
Conspicui Veneris Templum tenet ardua collis,
Purius hoc toto nihil est nec sanctius orbe;
Formosum Venus hic aspexit Adonida primum,
Capta

Capta ſimul lapſi vires in corda veneni
Senſit, & heu noſtros quiſquam mortalis amores
Suſcitet! exclamat, ſed noſtro dignus amore,
Ah! nimium dignuſque coli formoſus Adonis.
Nulla meas, Cnidii, poſthac effundite ad aras
Vota, ſit ille Deus ſit vobis numen Adonis.

Hic primo Pſichen florentem vere juventæ
Cum matre invenit, Templi laquearea circum
Aurea dum volitat, teliſque potentibus ictus
Imperium formæ ſenſit victricis, amore
Victus Amor; tales, inquit, ſi noſtra dolores
Spicula dant, humeris quid tam crudelia noſtris
Spicula, quorſum arcus, cur noxia tela geruntur?
Molle ſed in gremium Pſiches ubi decidit alis
Lapſus Amor tremulis, & nos, exclamat, habemus
Regna voluptatum, ſubjectaque gaudia nobis.

Continuo ingreſſis ſacrati limina Templi
Illecebræ captas mirâ dulcedine mentes
Suaviter accingunt, tales reor eſſe Deorum
Blanditias, feſtoſque dies felicis Olympi.
Hic decus, hic Veneres, hic circum Dædala rident
Munera Naturæ, doctamque imitata magiſtram

Ars, dedit eximios operum ingenioſa labores.
Divûm aliquis liquidos vitam ſimulare colores
Hîc docuit, varioſque modos & lucis & umbræ
Miſcuit, & pictas juſſit ſpirare figuras.

Nata Venus, fluctuque recens egreſſa marino
Cæruleis nitidum ſpumis caput exerit, illam
Vultibus attonitis miratur turba Deorum
Læta; rubet, palam quod poſſit nuda videri
Diva, gerens pulchro ſummum decus ore pudorem.

Hinc paribus raptos flammis Martemq; Deamq;
Pinxit, & amborum teneros conjunxit amores
Docta manus; curru Mavors ſedet arduus alto
Terrificos volvens oculos, comitatur euntem
Circum Fama volans, greſſu Mors dira Pavorque
Pallidus ante ruunt celeri, ſpumantibus ipſe
Inſtat equis, tandem media in certamina raptum
Pulvereæ involvunt nebulæ ferventis arenæ.
Poſt reſupinus humi dejectis viribus idem
Languet, & in roſeo reficit dum membra cubili
Subridet Veneri, cœleſtis ſigna nitoris
Pauca videntur adhuc, vix ſigna notantia Martem;
Te, gradive ferox, & te mitiſſima, nectit

Unus

Unus amor, Cytherea; legunt redolentia vobis
Serta Voluptates, & florea vincula blandæ
Molliter injiciunt, ſuſpiria funditis alto
Pectore vos, oculique tremunt confuſaq; membra.
Ille ſuæ Veneri, Marti ſolatia præbet
Illa ſuo, riſu feſtivo ludit Amorum
Circumfuſa cohors, non hos movet omnis Amorum
Turba, ſed intenti ſeſe & ſua gaudia curant.

Parte alia ſolers Veneris connubia pictor
Et te conjunctum vinclo, Vulcane, jugali
Appoſuit, magni circum chorus omnis Olympi
Adſtat, lætitiam per conjugis ora fluentem
Inſuetam aſpiceres, finem quoque ſortis opacæ
Idem exhorreſcit, dubioque timore trementem
Cernis, & emoto naſcentes pectore curas:
Diva exultantes immotâ mente catervas
Aſpicit, & ſponſo dextram tamquam infeia tendit,
Nec viſum patitur; fugitivo lumina motu
Errant, & Charites ſpectat converſa propinquas.

Pronuba ſolemnes Juno prope ſtans Hymenæos
Dirigit, inſignem pateram Vulcania conjux

Haurit

Haurit, & æternæ fidei incorrupta marito
Fœdera, nec flecti qui poſſit ſpondet amorem:
Solvuntur Divûm furtivis riſibus ora;
Vota animo gaudens promiſſaque conjugis audit
Mulciber, & tales avidâ bibit aure loquelas.
Mox furit Ignipotens rapidis ipſe ignibus ardens,
Atque moræ impatiens ſponſam trahit, illa trahentem
Paſſibus invitis ſequitur, hanc eſſe putares
Avulſam Cereris natam in Plutonia regna,
Viſa ſemel Veneris ſi fallere poſſit imago.

Aſpicis in ſummo duros ut brachia circum
Vertit in amplexus, Divamque cupidine fervens
Tollit humo, elatam thalamo impoſuiſſe laborans
Avehit, & fugiens in amata cubilia portat:
Agmina cœlicolûm vario ordine longa ſequuntur,
Illa manus multum cupiens vitare tenaces
Mille modis flexum diſtorquet amabile corpus;
Jam niveas crurum veſtis ſublata columnas
Deſerit, & volitans nudos oſtendit honores:
Hos tegit, & ſtudio ſic ſe Vulcanus inani
Exercens, curas operi dat ſedulus omnes:
Strata thoro tandem geniali includitur, illám

Heu

Heu! nimium fidens tibi nunc in ſæcula credis
Adjunctam ſtabili nodo, propriamque futuram:
Diffugiunt omnes, fugientes cernit amœno
Lumine, laſcivo Divæ ſpectacula riſu
Ludicra, vos ingrata Dei atque exoſa videtis:
Tu tamen ante alios triſti, Mars, ſaucia curâ
Pectora, ferventemque geris ſub corde dolorem.

Hæ Veneri arrident ædes, ornataque luxu
Mœnia regali, ſua jam delubra vocari
Hæc amat, hic precibus leges normamque ferendis
Inſtituit, feſtoſque dies, ſtabilitaque certo
Ritu jura, loci numen, templique ſacerdos.
Vix ea ſacra voces reliquum inconcinna per orbem
Quæ celebrant aliæ gentes, non illâ decoræ
Religionis habent quicquam; per templa puellæ
Concubitu innuptæ turpi venalia fœdant
Corpora, & ex ipſo dotem & ſponſalia lucro
Accumulant; nuptis etiam per templa vagari
Mos alibi, & palam quem dilexere coacto
In venerem, placito ſemel indulgere furori:
Nec tamen illiciti ſceleris mercede fruuntur,
Oblatumque imis condunt penetralibus aurum.
Invenies etiam templis ubi munera ferre,

Et

Et licitum ſolis cultas meretricibus aras
Cingere, Matronis non hic laus ulla pudicis,
Nullus honos, ſancto reverentia nulla Pudori.
Necnon & (dictu horrendum) genitalia templis
Sæpe viri extirpant mediis exciſa, togamque
Fœmineam induti ſacra ad delubra miniſtrant.
Sic te Diva colit ſexu viduatus utroque,
Et mutilus tibi jam nec vir nec fœmina ſervit.

At Cnidiis tu ſacra tuis, Venus alma, dediſti
Numine digna tuo, puroque nitentia cultu.
Victima ſunt illic ſuſpiria, donaque cordis
Oblatum teneri munus, quæ ſpondet amicæ
Omnis amans, quæ vota facit, quæ mollia dicit
Verba, Venus charæ vice ſuſcipit ipſa puellæ.
Qualis honos Veneri, talis reverentia formæ
Egregiæ, ſi diva Venus, cœleſtis origo
(Formæ ubi purpureo præſtantior emicat ore)
Huic quoque, & hoc pariter credunt divinitus ortum.
Non illi infidum ſimulato pectus amore
In delubra ferunt, Fidei ſe oſtendere priſcæ
Audent, & Veri puris altaribus adſtant.

Quos nimium crudelis Amor, quos angit Amica
Sæva nimis, triſtes mœſti per templa querelas

Hic

Hic fundunt, tanto effulget medicina dolori
Aurea ſpes, blandoque animos ſolamine mulcet.
Vos, quibus haud fictis cor ignibus ardet, acerbum
Si quondam ſenſiſtis onus, nunc æqua dolori
Gaudia, nunc fido Dea quæ promiſit amori
Sentitis nec vos promiſſo eludit inani.
Læſa Fides quem non cruciat? Sed mente latentes
Iras, & tacitum prodeſt celare dolorem.

Quis decreta Deûm cœlo enaſcentia culpet?
Quis dominam, ſi mente levis mutatur in horas
Incuſare auſit culpæ? aſpicienda ſilenti
Si quæ ſunt cultu vanâ inſectêre querelâ,
Ex ipſis fiunt juſtiſſima damna querelis.
Munera ſunt cœli flammæ, quibus ardet Amoris
Ignea vis, Furiæ, captæque inſania mentis,
Et quanto ſibi quiſque minus moderamina cordis
Vindicat ipſe ſui, tanto tibi, Diva, tuoque
Cor magis imperio jungis, captumque gubernas.

Impia queis nunquam generoſo pectora amore
Exarſere, Deæ non his delubra profano
Inquinare licet voto, nec limina templi
Sacra ineunt, ſed vota Procul longèque remoti
Emittunt, Divamque rogant ut inertia mentis

Otia

Otia tranquillæ nimium ſibi, jamque peroſum
Libertatis onus tollens patienter amico
Auferat auxilio, torpentem ubi nulla cupido,
Nullus amor mentem, non afficit ulla voluptas.

Inſpirat caſtis verecundum Diva pudorem
Virginibus, quas ipſa tegit Verecundia rebus
Pondera dans, opibus pretium latitantibus addit.
Non tamen his virgo fauſtis in ſedibus unquam
Erubuit, puri quod vim pateretur Amoris;
Nec puduit licitos ignes quandoque benigno
Ingenuoſque animi motus ſermone fateri.

Conſtituit ſibi quiſque diem retinacula cordis
Solvere quo deceat, qui tangi neſcit amore,
Huic edura nefas retinacula ſolvere cordis.

Vos fovet, O Cnidii, gens fortunata, Cupido:
Vos, ſi lædat Amor, quales in corda ſagittas
Emittat, cautus novit, crudelia nullæ
Pectora ſi lachrymæ, nulli flexere dolores
Durum animum, et lævum cor nil miſerantis amici,
Adſtat mitis Amor, lethæo tincta puellis
Flumine ſollicitus perituris tela miniſtrans.

Pectora cum mutuis primum exardeſcere flammis
Cernit Amor, crebris omnes in corda ſagittas
Actibus effundens creſcentes auget amores;
Idem languentes jam nunc decreſcere flammas
Ut videt, aut priſco vires animumque calori
Reddens, confeſtim redivivos ſuſcitat ignes,
Aut ſubito extinctos æterno funere mergit.
Non Cnidii extremis norunt ingrata diebus
Tædia, nec triſtes horas ubi deſinit rdor;
Nec ſi ceſſet amor, ſubeunt faſtidia, raptæ
Lætitiæ immemores reddit renovata Voluptas
Suavior, et Cnidios in læta oblivia ducens,
Gaudia dat ſautis ſenſim potiora Cupido.

Læſit Amor Phædram crudeli vulnere, durus
Miſit et in Creſſam ſæviſſima tela ſororem:
Subduxit pharetrâ quæ talia vulnera poſſent
Tela dare, atque animis hæc ferre pericula læſis
Officioſus Amor; cœlo qui fulmina mittit
Novimus eſſe Jovem, telis, Puer, ales iiſdem
Triſte odium, et lætos dum cordi infundis amores,
Te quoque Cœlicolûm de ſtirpe agnoſcimus ultro
Eſſe Deum, Numenque tuum et tua regna fatemur.

Non unquam occiduis radios Sol mergit in undis,
Intima quin ſacros ubi dant delubra receſſus,
Aſſiduis Venerem precibus votiſque puellæ
Sollicitent, neque fallaci ſententia fuco
Blandiloquos effert ſermones ſubdola, ſimplex
Gratia dum puro manans è pectore, puris
Enitit in verbis.----Venus ô Regina Amathontis!
Nunc, ait una, meæ periêre in Thyrſida flammæ,
Non ego te poſco ut redeat mihi priſtinus ignis
Diva; ſed hoc tantum concede, benigna, petenti,
Jam me Daphnis amet, jam me novus occupet
ardor.
Da mihi, Diva potens, tantas, ait altera, vires,
(Vix tamen auditur tacito vox miſſa ſuſurro)
Neſciat ut quantis meus ignibus urar Amyntas;
Da mihi celatos ut longum ignoret amores
Phyllidis ille ſuæ, ſic quæ mihi ſponte fateri
Mox ſuadebit Amor, grato magis ipſe fatentem
Audiet hæc animo quondam meus ignis Amyntas.
Neſcio quid nuper mentem mihi faſcinat, imis
Afflictam in latebris, inquit Galatea, peroſo
Lumine nunc ſolam juvat in deſerta vagari
Devia; nunc comitum luſus mihi diſplicet omnis,
Hoc amor eſt forſan, ſi tela Cupidinis hæc ſunt,

Daphni, meum ſolus cor, ſolus habebis amores.
Te celebrant pueri, te cantu, Diva, puellæ,
Te quoque mitis Hymen, feſtis, Hymenæe, diebus,
Carminibus numeriſque vocant, hic omnia circum
Dant laudes tibi, Diva; ſuos qui narrat amores,
Sæpe tuos etiam narrat, Cytherea, Triumphos.
Formoſam dextrâ ducens Amarillida Thyrſis,
Sic cantabat ovans, telis mihi pectora iiſdem
Saucia nunc, olim viſâ quibus ipſe Cupido
Tu Pſiche ardebas, ſors contigit æqua duobus;
Inſit quanta meis ſenſiſti flamma medullis,
Et tua quam fuerit ſenſi pergrata Voluptas.

Non ignota cano, tenuit me dulcis amœno
Hoſpitio Cnidus, & te, formoſiſſima, vidi,
Te viſâ, Themiri, exarſi, rurſumque reviſâ
Augebat primos iterum novus ardor amores.
His ego ſi Themirin toto mihi jungier ævo
Sors daret, his ſeros in amatis ſedibus annos
Ducere amem, nihil eſt potius mortale quod optem.
Me Themiris, me fidus Amor, ſacrata volentem
In delubra vocant, juvat alta Palatia Divæ,
Et ſanctos penetrare Lares, & mœnia credam
Jam Themiri hæc ſacrata meæ, per mollia dulces

Tendens prata legem flores, gremioque reponam
Munera lecta tuo, tecum mihi fors dabit olim
Forte per umbrosum tacite nemus ire, viarum
Hic ubi confusis errantem callibus ardens
Te, Themiri - - - - - - - - - - - - - - -
Dicere plura nefas, tua sunt arcana, Cupido.

TEMPLUM VENERIS.

EST Cnidiis antrum, blandis habitata Choræis
Nympharum loca, sacrato gens illa recessu
Mystica pandentem verbis oracula Divam
Lenibus hic audit, dictisque salubribus hæret.
Non gemit horrendum tellus, non crinibus illic
Territus erectis stupet Advena, nulla sacerdos
Ut Delphis agitata tremit, nec numine plenam
Inflatamque suo ut Pythiam quatit Augur Apollo:
Ipsa Venus facilem præbet mortalibus aurem,
Spes fovet, & duros subducit amica timores.

Fœmina Cretensi fallax è stirpe, relictis
Collibus

Collibus Idæis Cnidias advenit ad oras;
Incedit, juvenum viſam denſiſſima circum
Turba movet; vultu ſimul huic ſubridet amœno,
Arrectas tunc illa vocem producit in aures
Leniter ambiguam, brachiumque innixa reponens
Blandius, inque alium inclinans, converſa potenter
Ore duos uno ciet ambitioſa ſequentes.
Artis opus variæ formam exornabat amictus
Conſpicuam ſplendens, nec fraudes improba ver-
bis
Voce minus dubia nectit fallacibus, alto
Pectore quam meditata dolos exercet ocellis
Inſidioſa vagis: quales ſenſiſtis Amantes
Queis non fictus amor curas, quæ tædia, veſtræ
Et lachrymæ teſtes, & cœli ſidera norunt.
Proceſſit vultu quali nonnulla Dearum
Audax, conſultum ſacrata oracula, vocis
Protinus auditur ſonus è penetralibus actæ
Sacratis.----Sincerum animum nos ſceptraq; Falſi
Neſcia veridicæ gerimus, procul hæc fuge regna
Perfida, quid vanas his infers ſedibus artes?
Icta gravem dabis hoc pœnam pro crimine, turpi
Omne tuum ſquallore decus, quodq; allicit omne

Sordibus obvolvam, miserè sed corda manebunt
Usque eadem, solitamque gerent intacta figuram:
Nocturni ut Lemures horrenda, vocabis inani
Conatu, fugient omnes quos voce lacesses,
Irrita vota cadent, nec quid sperabis habebis;
Teque odium tumulo & ludibria dura sequentur.

Venit & extremâ Thais à Nocritide, raptis
Clara nitens opibus, spoliisque insignis Amantum;
Si decus imperio famamque his addere rebus
(Inquit Diva) putas nostro, te somnia ludunt
Vana, voluptates monstrat præstantia formæ
Tanta tuæ, non illa tamen præstrantia fundit
Delicias animis, nec gaudia vera ministrat:
Ferrea corda tenes, ipsoque Cupidine viso
Nullus amor duram flectat, nec suscitet ardor:
Blanditias nugasque leves imbellibus offer
Hinc semota tuas, & dona petentibus illâ
Quæ data sponte tui inducant fastidia funde.
Quæ speciosa geris videant, hæc visa repeute
Spreta jacent, & nota semel perduntur in ævum.

Lydorum venit Regis fulgentibus auri
Præfectus cumulis, auro gaziſque beatus

Ipſe

Ipſe, petis, noſtri quamvis moderamen Amorum
Sit, Dea, juris, ait, quod nec conferre volentes
Poſſumus, ut cordi flammas inſpiret amoris
Fœmina bella tuo, partas tibi ſubjicis auri
Ponderibus, quarum forma eſt pulcherrima plures,
Sed pretium flammas ignemque Cupidinis aufert.
En tibi quis ſit opum fructus, faſtidia rerum
Inducent faturo, promet Natura decorum
Quidquid habet, ſed te fugiet ſublata voluptas
Omnis, & egregium eſt & quidquid amabile ſpernes.

Paſtor Ariſtæus longinquâ à Doride venit,
Phillida formoſam Juvenum pulcherrimus ipſe
Viderat hic olim, jam captus amore peribat,
Invehitur totis rapidæ violentia flammæ
Oſſibus, inque imis hærebat fixa medullis;
Supplicibus Venerem precibus tamen orat, amori
Inferat ut ſtimulos, & ventilet acrius ignes.
Quale tuum ſit (Diva refert) cor novimus, ultro
Hoſpitium præbet flammis, tibi mollia fervent
Pectora ſponte, tuo ſed digna videtur amore
Phillis: connubio Reges ſibi jungere vellent
Phillida, ſed potius fidos ego munere tanto
Paſtores donem, tu Phillida, Paſtor, habeto.

Me

Me tandem & mecum his Themirin felicibus oris
Ingreſſam vidit tenerorum mater Amorum.
Tu mea jura colis, te non ſubmiſſior alter
Imperio (dixit) noſtro, quæ præmia tantis
Debentur meritis, obſervantiſſime, dignum
Te quibus accumulem donis! jam nullus amori
Quo tibi cor fervet modus eſt, his addere vires
Æſtibus haud valeo, & Themiri incrementa nitoris
Nulla novi Charitum dederit conjuncta poteſtas.
Multa potens te Diva rogo, Venus aurea, votis
Ecquis enim noſtris, inquam, ſit finis! Amicæ
In me tota meæ Themiris ſtet cura, dierum
Tædia ſublato numeret ſibi læva, reviſo
Gaudia tum norit redeuntia læta, meique
Nocte ferunt ſuaves animo cum ſomnia viſus,
Sit memor, & memori mea ſola recurrat Imago.

MICHAEL CLANCY. M. D.

1745.

FINIS.